

# An Early Commentary on Boethius' *De Topicis Differentiis*

edited by

*Heine Hansen\**

## §1. Commentary

The commentary on Boethius' *De topicis differentiis* edited here is found in a single manuscript kept in Pommersfelden, namely MS Pommersfelden Schloßbibl. 16/2764 (*olim* St. Peter at Erfurt 16). The manuscript has been described by J. Theele<sup>1</sup> and a list of its contents has been given by Y. Iwakuma.<sup>2</sup> Some doctrinal aspects of the commentary have been discussed by N.J. Green-Pedersen who has also edited a short excerpt.<sup>3</sup> Theele dates the ms to the 11th century, Green-Pedersen and Iwakuma to the late 11th or early 12th century. As to the date of the commentary, Green-Pedersen says of it and another on *De topicis differentiis* contained in the same manuscript that »presumably they belong to the second half of the 11th century, and perhaps even to the end of it.«<sup>4</sup> The commentary is incomplete. It runs from the beginning of 8<sup>v</sup> to the bottom of 29<sup>v</sup>. A considerable lacuna appears between 24<sup>v</sup> and 25<sup>f</sup>. 27<sup>r-v</sup> is a displaced leaf containing part of another commentary on *De topicis differentiis*<sup>5</sup> and, on the lower two thirds of 27<sup>v</sup>, the beginning of a commentary on the *Perihermeneias* of Apuleius plus 29 lines of unidentified text. At the top of 28<sup>r</sup> the commentary picks up where it left off at the bottom of 26<sup>v</sup>, and runs until 29<sup>v</sup>, where it breaks off midsentence. The upper half of 30<sup>r</sup> contains a part of what appears to be another commentary on *De topicis differentiis*, on the lower half begins a commentary on *De categoricis syllogismis*. This means, then, that in its present shape the commentary covers Boethius' clarification of concepts, ie. the entire first book plus the beginning of the second, whereafter the treatment of the Themistian *loci a substantia* is missing. After the lacuna, begins the treatment of the Themistian *loci a concomitantibus substantiam*, and the commentary runs continuously until it breaks off in the middle of the

---

\* I am indebted to Sten Ebbesen for his indispensable help.

<sup>1</sup> J. THEELE 1920 : 178 : » 11. Jh. Sehr kleine Hand, von f. 45 ab von anderer Hand. Pergament, 15,5 x 10 cm, 80 Bll., cr. 48 Zeilen, einspaltig. «

<sup>2</sup> Y. IWAKUMA 1992 : 62-4

<sup>3</sup> N.J. GREEN-PEDERSEN 1984 : 147-53; 347-8; 419

<sup>4</sup> *ibid.*: 147

<sup>5</sup> This short excerpt have been added here as an appendix.

treatment of the *locus ab eo quod magis est*, ie. still in the second book. How much of the Boethian treatise the commentary originally covered, seems impossible to determine.

## § 2. Author

The commentary is anonymous, but two passages may well betray the place of origin and the name of the author:

Quantitates enim sunt, ut si dicas: »Diem et noctem unam **Lauduni** moratus sum« »Diurnum est hoc opus« »Nocturnae sunt vigiliae«. (I.5.49 / 1180A / 16<sup>v</sup>)

Saepius quippe determinationes subduntur quae diverse a suis significant determinatis, ut »**Arnulfus** est habens librum«. Nam »librum« aliud significat quam »**Arnulfus** habens«. (II.2.6 / 1183B / 21<sup>v</sup>)

For, as Iwakuma has shown, a number of the texts contained in the Pommersfelden manuscript are of a »vocalist« orientation, and, as he correctly notes, the present commentary on *De topicis differentiis* is no exception,<sup>1</sup> cf., e.g., the following passages:

Topicorum igitur materia est voces singulae vel orationes quae dicuntur locus. (*Prologue* / 8<sup>v</sup>)

In quo lectio illa realis destruitur secundum quam non vox per alias voces, sed res per se ipsam probatur. (I.2.3 / 1174C / 10<sup>r</sup>)

In quo destruuntur veteres, qui praedicatum et subiectum dicunt res esse, non voces. (I.4.15 / 1175b / 11<sup>r</sup>)

Now, the mention of both the city of Laon and the name Arnulfus in a vocalist commentary is interesting because in the *Historia Francica* one finds the following passage treating of the time of the death of William the Conqueror († 1087):

Hoc tempore tam in divina quam in humana philosophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum episcopus, Guido Langobardus, Maingaudus Teutonicus, Bruno Remensis qui postea vitam duxit heremiticam. In dialectica quoque hi potentes extiterunt sophistae: Joannes, qui eandem artem sophisticam vocalem esse disseruit, Rotbertus Parissiacensis, Roscelinus Compendiensis, **Arnulfus**

---

<sup>1</sup> Y. IWAKUMA 1992 : 64-5

**Laudunensis.** Hi Joannis fuerunt sectatores, qui etiam quamplures habuerunt auditores.<sup>1</sup>

Nothing further is known of this John who taught logic to be an *ars vocalis*, but the claims that Arnulf was active at this point in time, and that he and Roscelin were contemporaries, seem to be supported by the occurrence of two satirical poems, one mocking an Arnulfus Laudunensis, the other a Ruzelinus and his *voces*, in the Codex Udalrici, a collection of metrical pieces, diplomas, letters etc. completed around 1125 by a certain Udalric from Bamberg. The poem on Arnulf runs as follows – he had, it seems, passed away at the time of composition.:

Super Arnulphum Laudunensem

Non, Arnolfe, loci, non mille sophismata prosunt.

*Sum proponis homo; non homo fata probant.*

His argumentis ad idem duxere Platonem;

Hisdem conclusus, conticuit Socrates.

Nunc, Arnulfe, tibi pietas et gratia Christi

Subveniant melius quam genus et species.<sup>2</sup>

It seems a reasonable conjecture that the occurrence of the city of Laon and the name Arnulfus in this vocalist commentary are the author's or – if we are dealing with a student's reportation of a lecture – the lecturer's mention of his hometown and himself. This is also in accord with the date assigned to the manuscript. Indeed, the suggestion that the commentary is the work of Arnulf of Laon has already been advanced by Iwakuma,<sup>3</sup> who has also noted the occurrence of the name Arnulfus cited above. Interestingly, Iwakuma further reports that the name Arnulfus occurs in the commentary on Boethius' *De categoricis syllogismis* following upon the present commentary in the ms, this text may also, then, be the work of Arnulf. However, apart from the information given by the *Historia Francica* and the *terminus ante quem* for the death of Arnulf supplied by the Codex Udalrici, nothing appears to be known about him, and it is therefore not at present possible to determine exactly when the present commentary was composed, but Green-Pedersen was hardly wide of the mark when he suggested the end of the 11th century.

---

<sup>1</sup> *Historiae Francorum ab anno Christi DCCCC ad ann. MCCLXXXV scriptores veteres XI, ex bibliotheca P. Pithoei.* Frankfurt 1596 : 88.

<sup>2</sup> P. JAFFÉ 1869 : 188. It is worth noticing that Jaffé has changed the original order of the material.

<sup>3</sup> Y. IWAKUMA 1999 : 96

### § 3. Edition

The text has been transcribed from photographs. I have imposed my own orthography, punctuation, and paragraphing on the text. For a few remarks on the orthography of the ms, henceforth referred to as P, cf. §4 below.

*A.c.* and *p.c.* readings are recorded, even when of little import. This is done either in the apparatus or in the text using [...] to mark out original but cancelled formulations and \.../ to mark out interlinear or marginal additions.

Boethian lemmata appear in SMALL CAPITALS. The manuscript does not consistently mark lemmata in any special way, but often abbreviates them heavily giving only the initial letter of each word or of some of the words. These abbreviations have all been tacitly resolved in accordance with Nikitas' edition. Deviations from the text as established by Nikitas are noted in the apparatus, as are differences in word order. When these deviations and differences occur in Nikitas' apparatus, a reference to this is given. However, in a text like this it is not always all too clear what should be considered a quotation and what a paraphrase.

I have provided the lemmata with references to Nikitas' division of the text. A reference to the edition in *Patrologia Latina* 64 is also given whenever there is a change of PL column.

### § 4. Orthography of P

#### GENERAL REMARKS

P uses both *e caudata* and *e* for the classical digraph *ae*; flexives are almost always rendered with *e caudata*, whereas all forms of *haereo* + prepositives (*in-*, *co-*, *ad-*) are rendered with *e*; words containing the nucleus *aeq-* are almost always written with *e*; thus, e.g., *equale*, *equivoca*, *equivocari*, *equipollenter*, but also found is *aequalia* with *e caudata*. In all cases I write *ae*.

In some Greek words *y* and *i* are used interchangeably, thus, e.g., *hyppotesis* and *hippotesin* in the same line. The single occurrence of *physica* is spelled *phisica*. *Syllogismus* is always written *sillogismus*; *syllaba* occurs once and is spelled with an *i*. *Tyrannus* occurs twice and is spelled with *y*.

Occasionally, an *h* is omitted, thus we find both the standard medieval forms *habundanter*, *habundantem*, *habundans* and *abundans*, *abundanti*. As far as Greek loan-words go, one finds *hyppetetici* in one line and *ypoteticus* in the next; always *categoria-* except for a single *cathegoric-* and a single *Categoriis*; always *rethoric-* save for a single *retoric-*. *Peripatetici* is spelled *Perhippatetici*.



A single occurrence of *v* instead of *b* is found in *duvietatem*.

#### SINGLE WORDS

*analetice*, not *analytice*

*Aristotiles* is always spelled with an *i* in the penultimate syllable, the corresponding adjective, however, is always spelled *aristotelic*-.  
*diffinitio*-, *-e* etc., not *definit*-

*dialecticis* is, when not abbreviated, always the spelling of *P*

*entimema*, not *enthymema*

*aethica*, not *ethica*

*iccirco*, not *idcirco*

*nichil*, not *nihil*. *Nihil* is found only once, in *nihilominus*  
*quatuor*, not *quattuor*

#### § 5. Bibliography

N.J. GREEN-PEDERSEN 1984, *The Tradition of the Topics in the Middle Ages: The Commentaries on Aristotle's and Boethius' 'Topics'*. München.

Y. IWAKUMA 1992, »Vocales, or early nominalists«, in *Traditio* XLVII : 37-111.

Y. IWAKUMA 1999, »Pierre Abélard et Guillaume de Champeaux dans les premières années du XII<sup>e</sup> siècle : une étude préliminaire«, in J. BIARD (ed.), *Langage, Sciences, Philosophie au XII<sup>e</sup> siècle*. Paris : 93-123

P. JAFFÉ 1869, *Codex Udalrici, Bibliotheca Rerum Germanicarum* vol. 5. Berlin.

C.J. MEWS 2002, *Reason and Belief in the Age of Roscelin and Abelard*. Aldershot.

J. THEELE 1920, *Die Handschriften des Benediktinerklosters S. Petri zu Erfurt*. Zentrallblatt für Bibliothekswesen XLVIII. Leipzig.

*Historiae Francorum ab anno Christi DCCCC ad ann. MCCLXXXV scriptores veteres XI, ex bibliotheca P. Pithoei*. Frankfurt 1596.

Editions of *De topicis differentiis*:

J.P. MIGNE 1860, *Manlii Severini Boetii Opera Omnia*, *Patrologia Latina* LXIV. Turnholt.

D.Z. NIKITAS 1990, *Boethius' De topicis differentiis und die byzantinische Rezeption dieses Werkes*. Athens.

## § 6. Sigla

P	MS Pommersfelden, Schloßbibl., 16 / 2764
N	Nikitas' 1990 edition
[album]	album <i>delendum censeo</i>
[[album]]	album <i>deletum habet codex</i>
<album>	album <i>quod numquam in codice vel codicibus fuit, addendum censeo</i>
<<album>>	album <i>iam deperditum vel invisibile, in codice integro extitisse puto</i>
\album/	album <i>secundario (inter lineas vel in mg.) inseruit scriba</i>
†album†	album <i>corruptum esse puto</i>
album(?)	<i>de lectione album dubitare licet</i>
alb()	<i>quae litterae post alb scribendae sint propter compendium legere non liquet</i>
...	<i>vox quam vel litterae quas legere nequivi</i>
***	<i>lacuna a scriba indicata</i>
<***>	<i>lacuna a me statuta</i>

**Commentarium in Boethii *De topicis differentiis***

Primum oportet dicere in omni libro quae sit materia, deinde quae sit intentio, tertio ad quam partem scientiae tendat. Sciendum quoque quod omnis materia a tractatu qui ex ea fit diversa est, sicut causa ab effectu. Topicorum igitur materia est voces singulae vel orationes quae dicuntur locus; voces singulae ut generales, speciales etc., orationes ut maximae sunt propositiones quas in Topicis reperies. Tractatum itaque libri huius dices esse praecepta et orationes quae in hoc volumine designantur, data ad ostendendam localium vocum et maximarum propositionum naturam, non ita tamen ut ipsae locales voces quae sunt ut »homo« »animal«, et ipsae maximae propositiones contineantur in hoc tractatu. Materia enim ipsius sunt, quare et causa quare tractatus iste effectus dicitur. Relativa enim sunt causa et effectus, diversis igitur rebus imponuntur. Nulla igitur localis vox aut localis propositio in tractatu isto erit.

Si autem quaesieris quare auctor in tractatu hoc interposuerit locales voces et propositiones cum ab ipso alienae sint sicut causa ab effectu, dicemus locales voces et maximas propositiones ideo hic Boethium posuisse quia propriis carent nominibus quibus significari possint. Nam si propriis nominibus signarentur ipsarum nomina, non ipsae in tractatu hoc ponerentur; sicut Lucanus in tractatu suo nomina civium Romanorum posuit qui sui tractatus materia sunt, ipsos autem cives nullatenus ponere potuit. Sic igitur in omnibus libris diversa sunt materia et tractatus; in his quidem libris qui de rebus corporeis tractant manifestum est, in his vero qui de vocibus tractant, ut hic, sententia haec infirmari videtur, sed non est ita.

Nunc vero quoniam materiam ostendimus, quae sit intentio dicemus, quam ab ipso quidem auctore habemus. Intentio enim Boethii in hoc volumine est »ut omnibus undique locis plena consideratione propositis atque pernotatis argumentorum« atque argumentationum »copia comparetur«.<sup>1</sup>

Cui autem parti scientiae supponatur, facta scientiae divisione planius videbitur; quam sic dividemus: Scientia litteralis alia est ratio disserendi, alia est \non/ ratio [[non]] disserendi. <Ratio disserendi> alia est locorum et syllogismorum, alia non. Quae divisio generis in species est disposita per negationem et affirmationem. [9] Potest autem et aliis modis scientia dividi, sed nunc iste sufficit.

Huic itaque parti scientiae quae est ratio disserendi supponitur huius scientia libri. Quae, id est ratio disserendi, in duas dividitur partes, in inventionem

---

<sup>1</sup> I.1.6/1174B

videlicet atque iudicium. Inventio quidem est perfecta locorum [ac] dialecticorum atque rhetoricorum notitia, iudicium vero certa syllogismorum cognitio. Quae duae partes neque speciales sunt neque individuales, sed continuae. De nulla enim singulariter accepta praedicatur ratio disserendi; continuum enim totum est harum respectu partium, quamvis alio modo dividantur, ut species in individua de quibus praedicatur. Haec itaque scientia inventioni subicitur non quod inventio vel ratio disserendi de ipsa praedicetur, sed ita subicitur ei ut lapis parieti, paries autem domui, et ut syllaba nomini, nomen autem orationi.

Titulus vero huius operis sic est: INCIPIT LIBER BOETHII DE TOPICIS DIFFERENTIIS. Quem ita expones: INCIPIT, id est multum capit, LIBER BOETHII, id est tractatus iste, DE TOPICIS DIFFERENTIIS, id est per topicas differentias. Quod est dicere: Magnam famam suscipit liber iste ex hoc quod perfecte ostendit locales voces quae et singulae dicuntur locus et differentiae sunt aliorum locorum, id est maximarum propositionum. Nam per nomina localium vorum, id est per hoc nomen quod est »genus« et »species« et »totum« et »pars« et »definitio« et »par« et »oppositum« et »maius« et »minus« et »causa« et »effectus«, differunt ab invicem maximae propositiones quae nihilominus loci dicuntur.

Solet autem quaeri quare titulus per tertiam, prologus autem per primam inducatur personam. Ad quod respondendum est quod si titulus per primam, sicut prologus, induceretur personam, ambiguum faceret orationem. Nam si diceret: »Ego incipio topicas differentias«, ad infinitum nos duceret. [[ad nullam orationem]] \Ad nullam enim certam nos mitteret personam. Omnis equidem homo dicit »ego«. Item si diceret: »Ego Boethius incipio topicas differentias«, quamvis certam, figuratam tamen faceret orationem./ Omnis enim nominativus tertiae personae est. »Ego« vero et »incipio« primae sunt personae, quare talis oratio figurata esse iudicatur quia prima persona tertiae coniungitur. Ideo igitur nomen auctoris in titulo praemittitur, ut libri auctor inde certificetur. Ideo autem tertia persona, id est nominativus, tertiae verbi coniungitur, ut prima textus oratio sine vitio esse dicatur.

Solet etiam quaeri quare post titulum prologus inducatur cum idem quod titulus significare videatur; utrumque enim materiam sequentis insinuat operis. Ad quod dicendum est quod titulus solam sequentis operis ostendit materiam, prologus vero ad quam ipsa materia ducitur intentionem; attentum quoque atque benivolum reddit lectorem. Non superflue igitur titulo prologus apponitur.

## LIBER PRIMUS

1| OMNIS RATIO DISSERENDI etc. (I.1.1/1173B) Ratio disserendi incorpoream substantiam, id est animatam, significat, sicut scientia cuius ipsa species est. Dices ergo: OMNIS RATIO DISSERENDI, id est omnis anima quae vocatur ratio disserendi, IN DUAS DISTRIBUITUR PARTES, id est in duabus partialibus vocibus designatur secundum ipsum totum. Ideo IN DUAS dicit PARTES quia veteres Peripatetici ita iusserunt, quod est illud: QUAM PERIPATETICI VETERES LOGICEN APELLAVERUNT.

Ostendit duas partes illas in quas dividitur ratio disserendi ita: UNAM INVENIENDI, ALTERAM IUDICANDI, id est una inventio, altera iudicium. ET EA QUIDEM PARS QUAE IUDICIUM PURGAT, id est quae puram agit conclusionem necessaria argumentatione, ATQUE INSTRUIT maxima propositione, A NOBIS POTEST RESOLUTORIA NUNCUPARI quia a Graecis analytice, quod est: AB ILLIS ANALYTICE VOCATA. EA VERO pars QUAE INVENIENDI FACULTATEM MINISTRAT, id est illa anima quae ministrat facilem utilitatem INVE|9|NIENDI, id est fortiter veniendi contra hostem, A NOBIS DICITUR LOCALIS quia topice dicitur a Graecis, quod est: A GRAECIS TOPICE.

Ad priora redeundum est. Sicut nunc expositum est, habes quod et scientia, genus, et ratio disserendi, species eius, et inventio atque iudicium et resolutorium atque locale, quae rationis disserendi membra sunt, substantiae incorporeae, id est animae, imponuntur. Si vero scientiam tractatus ipsos atque orationes auctorum, sicut quidam volunt, significare dixeris, rationem disserendi eiusque partes quae praedictae sunt idem significare non negabis. Secundum quam significationem partem prologi quam praemisimus exponere licebit.

Per hoc quod dicit: QUI SINT LOCI EORUM<sup>1</sup> DIFFERENTIAE (I.1.2) intelligi vult maximas propositiones quae dicuntur locus et voces etiam singulas, quae nihilominus locus sunt, quarum nomina maximarum propositionum differentiae sunt.

NEC ID SIMPLICITER ATQUE UNIFORMITER (I.1.3/1173C) SIMPLICITER quantum ad tractatum, UNIFORMITER quantum ad divisionem vel ad materiam. ET NUNC NON IN SINGULIS IMMORABIMUR, SED DE TOTA DIVISIONE COMMUNITER DISSEREMUS (I.1.4) Id est non multum morabimur in singulis membris divisionis exponendis – non negat omnino quin dicat de singulis, sed multum se immoraturum negat – SED COMMUNITER DISSEREMUS, id est

---

<sup>1</sup> EORUM] QUAE HORUM N, *sed cf. app.*

communes sententias dabimus, non proprias, DE TOTA DIVISIONE, id est de singulis divisionis membris communiter tractando de significatis.

ILLIC IGITUR CUNCTA SUNT PROPRIIS ATQUE ENODATIS PARTIBUS EXPEDITA (I.1.5/1173D) Illatio a partibus vel a pari. Quasi dicat: Quandoquidem singula illic diligentius expedita sunt, igitur cuncta illic expedita sunt PARTIBUS PROPRIIS, id est per partes ostensas proprias atque enodatas, id est perfecte ostensas, vel ENODATIS PROPRIIS, id est proprietatibus, ATQUE ENODATIS PARTIBUS.

UT IGITUR CUNCTA PERSPICUIS RATIONIBUS CONSTENT, PAULO ALTIUS ORDIENDUM EST. (I.1.6/1174B) Illatio a causa. Quasi dicat: Quandoquidem cura est mihi exsequendi locos, ORDIENDUM EST PAULO ALTIUS, id est dicendum est in primis de propositione, quaestione, conclusione et argumento, quorum tractatus paulo difficilior est quam sit de loco; ad illum enim per istum venit. Ideo videlicet praemittendae sunt definitiones istorum UT CUNCTA, id est ista et ea quae de loco dicturus sum, CONSTENT in hoc volumine PERSPICUIS RATIONIBUS. Daturus definitionem loci necessario praemittit definitionem argumenti. Est enim definitio loci »sedes argumenti«. Quare si ignoretur argumentum, ignorabitur et locus. Quod autem definit propositionem, quaestionem et conclusionem causa argumenti facit, quod nullo modo fit nisi ista praecedant. Quasi dicat: Definitionem argumenti praemitto causa loci, definitionem autem propositionis, quaestionis et conclusionis praemitto causa argumenti. Sciendum autem propositionem ideo praemitti quaestioni quia ex materia propositionis alicuius quaestio descendit; prius enim aliquod enuntiatur quod si non creditur in quaestionem ducitur. Post quaestionem sequitur conclusio, quia id quod quaeritur concludendo affirmatur.

2| Describitur ergo propositio hoc modo: PROPOSITIO EST ORATIO VERUM FALSUMVE SIGNIFICANS (I.2.1) Quod est dicere: Oratio faciens verum signum rei vel falsum est propositio, id est oratio faciens auditorem vere signantem, id est imaginantem, aliquam rem vel falso propositio est, vel oratio faciens auditori ipsum prolatorem esse verum signum vel falsum signum rei de qua ipse agit est propositio. Secundum quam expositionem [10] dici potest quod omnis oratio ad minus duo significat, eam videlicet rem de qua principaliter agit et, secundario, ipsum qui ipsam profert orationem, ut si dicas: »Homo animal est«, oratio haec principaliter designat rem quae dicitur homo, secundario autem ostendit te signum esse rei ipsius de qua ipsa agit. Ostendit cuiusmodi materia dicatur propositio hoc modo: UT SI QUIS DICAT CAELUM ESSE VOLUBILE.

Sequitur probatio a pari ita: HAEC ET ENUNTIATIO ET PROLOQUIUM NUNCUPATUR. Quasi dicat: Recte attribui hanc definitionem quae est »oratio

verum falsumve significans« huic voci quae est »propositio«, quare HAEC, id est oratio verum falsumve significans, NUNCUPATUR ENUNTIATIO ET PROLOQUIUM, id est significatum huius vocis quae est »oratio verum falsumve significans« nuncupatur enuntiatio et proloquium.

Et quia materia, id est significatum propositionis, non credita transit in quaestionem, subiungit inde sic: QUAESTIO EST IN DUBITATIONEM AMBIGUITATEMQUE ADDUCTA PROPOSITIO (1.2.2) Quod est: Propositio, id est materia propositionis, adducta in dubietatem, id est in duas vias, videlicet in affirmationem et negationem, et adducta in ambiguitatem, id est in incertitudinem, est quaestio, id est vocatur quaestio, vel adducta in dubietatem, videlicet in hanc vocem, scilicet ut vocetur dubia, et adducta in ambiguitatem, [id est] [[in incertitudinem ide]] \scilicet/ ut vocetur ambigua. Ostendit sub exemplo quomodo propositio fiat quaestio: UT SI QUIS QUAERAT »AN SIT CAELUM VOLUBILE?«. Subaudi: »an non«; omnis enim quaestio ad utrumque se habet, id est ad affirmationem et negationem.

Et quia materia quaestionis transit in conclusionem, subsequitur ita: CONCLUSIO EST ARGUMENTIS APPROBATA PROPOSITIO (1.2.3/1174C) PROPOSITIO, id est materia propositionis, APPROBATA, id est ex toto probata, ARGUMENTIS, id est tam ratione ipsius qui probat quam eius cui aliquid probatur, CONCLUSIO EST, id est conclusio vocatur. Dicitur autem CONCLUSIO quasi simul clausio, id est plurium cl<a>usio; claudit enim duas praecedentes orationes, id est propositionem et assumptionem. Ostendit sub exemplo qualis vocum materia conclusio dicatur: UT SI QUIS EX ALIIS REBUS CAELUM PROBAT ESSE VOLUBILE.<sup>1</sup> Per hoc quod dicit EX ALIIS REBUS, ostendit quod eadem res se ipsam probare non potest. In quo lectio illa realis destruitur secundum quam non vox per alias voces, sed res per se ipsam probatur.

Sequitur: ENUNTIATIO QUIPPE SIVE SUI CAUSA DICATUR TANTUM etc. (1.2.4)<sup>2</sup> Quasi dicat: Merito dixi superius propositionem et enuntiationem paria esse, ENUNTIATIO QUIPPE SIVE SUI CAUSA DICATUR, id est materia enuntiationis si proferatur sui causa tantum, id est ad hoc ut ostendat quid sit propositio, non ad hoc ut de significatis agat, vel si per se ad nihil probandum proferatur, SIVE AFFERATUR<sup>3</sup> AD ALIUD PROBANDUM, id est gratia rerum significat[iv]arum ostendendarum prolata, EST PROPOSITIO, id est vocatur propositio. Sequitur: SI DE IPSA QUAERITUR, QUAESTIO. Quasi dicat: Merito dixi quod propositio adducta in dubietatem<sup>4</sup> est quaestio, quia enuntiatio SI DE

<sup>1</sup> CAELUM PROBAT ESSE VOLUBILE] PROBAT CAELUM ESSE VOLUBILE N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> CAUSA DICATUR TANTUM] TANTUM CAUSA DICATUR N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> AFFERATUR] AFFERTUR N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> dubietatem] duvietatem P

IPSA QUAERITUR est QUAESTIO. A pari. Sequitur: SI IPSA EST APPROBATA, CONCLUSIO. Quasi dicat: Merito dixi quod propositio approbata argumentis est conclusio, quia [[ipsa]] enuntiatio, SI IPSA APPROBATA EST, est CONCLUSIO. A pari.

IDEM IGITUR<sup>1</sup> PROPOSITIO, QUAESTIO ET CONCLUSIO. Illatio a causa. Quasi dicat: Quandoquidem materia propositionis, quaestionis et conclusionis est eadem, igitur propositio quaestio et conclusio sunt idem, id est designantur ab hac voce quae est «idem», SED DIFFERUNT MODO SUPRADICTO,<sup>2</sup> id est definitionibus supradictis.

Expositis propositionibus per quas ad argumentum venit tractat de argumento sic: ARGUMENTUM EST RATIO REI DUBIAE FACIENS FIDEM. (1.2.5) Id est anima illa dicitur argumentum quae rationabiliter disserens facit FIDEM, id est fidelem conclusionem, DUBIAE REI, id est praecedenti quaestioni de qua dubitatur, vel RATIO EST ARGUMENTUM, id est anima illa rationabiliter disserens vocatur argumentum, quae facit FIDEM, [10<sup>v</sup>] id est propositionem et assumptionem, DUBIAE REI, id est dubitanti auditori.

Et quia argumentum et argumentatio idem esse videntur, addit NON VERO IDEM EST ARGUMENTUM QUOD ARGUMENTATIO: NAM VIS SENTENTIAE etc. (1.2.6) VIS SENTENTIAE, id est anima sentiens vi, id est rem discernens prout est, ET RATIO, id est anima rationabiliter sentiens, id est probabiliter auditori, EA, videlicet anima, QUAE CLAUDITUR, id est arctatur et cogitur et tenetur, ORATIONE loquentis, CUM ALIQUID PROBATUR AMBIGUUM, ea tamquam anima ARGUMENTUM VOCATUR. Ideo dicit: CLAUDITUR ORATIONE, \<<quia>> et ille qui probat clauditur ratione exigente et(?) donec quam inceptit probationem perficiat et ille cui probatio fit oratione clauditur/ quia quod prius negabat cogente tandem ratione confitetur. IPSA VERO ARGUMENTI ELOCUTIO ARGUMENTATIO DICITUR. Quasi dicat: Argumentum significat animam, sed argumentatio significat orationem quae argumentum explicat.

QUO FIT UT ARGUMENTUM SIT etc. (1.2.7) Illatio ab effectu. Quasi dicat: Quandoquidem argumentum clauditur oratione, ex hoc FIT UT ARGUMENTUM SIT VEL MENS, id est probabilitas, vel VIRTUS, id est necessitas, ATQUE SENTENTIA, id est significatio, ARGUMENTATIONIS. Videlicet, quod argumentatio dicitur probabilis et necessaria et sententiosa, hoc habet ab argumento, et quia ARGUMENTATIO DICITUR ELOCUTIO ARGUMENTI, ex hoc fit ut ARGUMENTATIO sit EXPLICATIO ARGUMENTI PER ORATIONEM, id est oratio explicans argumentum est argumentatio.

<sup>1</sup> IDEM IGITUR] IDEM EST IGITUR N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> MODO SUPRADICTO] SUPRADICTO MODO N, *sed cf. app.*



Exposito itaque argumento et his quae ad argumentum necessaria sunt, transit ad locum definiendum hoc modo: LOCUS EST ARGUMENTI SEDES. (1.2.8/1174D) Quod est dicere: Vox illa dicitur locus circa quam sedet, id est immoratur, argumentum, id est anima necessario et probabiliter disputans. Quomodo autem immoretur aliquis circa locum sub exemplo videndum est. Proponatur<sup>1</sup> ergo: »Utrum homo sit substantia?«, et probetur ita: »Omnis homo est animal; omne autem animal est substantia; omnis igitur homo est substantia«. In hac itaque argumentatione habes »animal« locum, circa quam vocem,<sup>2</sup> videlicet »animal«, immoratur argumentator; per »animal« enim, quod medium est, coniungit hominem et substantiam, quae divisa esse videbantur. [[ita: »Utrum lapis sit homo?«]] Et ita habes in omni loco vocali quod aut coniungit quae divisa esse [[*fere III voces erasae*]] putantur aut disiungit quae coniuncta esse videbantur, ita: »Utrum lapis sit homo?«; »Omnis homo est animal; nullus autem lapis <est><sup>3</sup> animal; nullus igitur lapis est homo«. Sciendum autem quod omnis locus medius est inter ipsa quae coniungit aut disiungit et quod et in propositione et in assumptione semper ponitur, ut supra positum est. VEL locus est UNDE AD PROPOSITAM QUAESTIONEM CONVENIENS TRAHITUR ARGUMENTUM, id est<sup>4</sup> vox illa dicitur locus UNDE, id est per quam vocem, TRAHITUR ARGUMENTUM, id est anima †contra quam†, AD PROPOSITAM, id est ad antepositam, QUAESTIONEM CONVENIENS, id est consentiens illi qui contra se argumentatur. Id est vox illa dicitur locus per quam in syllogismo bis positam cogitur auditor ut credat quae sibi disputando impinguntur.

3] Diximus de argumento causa loci, de propositione autem et quaestione et conclusione causa argumenti quia alia per alia exponi necesse est. QVAE CUM ITA SINT, id est coniuncta et copulata sint, SINGULORUM DILIGENTIUS NATURA TRACTANDA EST. (1.3.1) Ideo videlicet quia coniuncta et perplexa sunt ita quod in alterutrum pendeant. Vel ita continuandum: Dedi superius diversorum diversas [[differentias]] \definitiones/, [11'] QVAE CUM ITA SINT, id est cum ita diversa sint, SINGULORUM DILIGENTIUS NATURA TRACTANDA EORUMQUE DIVISIO FACIENDA EST PER SPECIES, ut propositio alia affirmatio, alia negatio, ET PER MEMBRA, ut propositionis alia pars praedicatus, alia pars subiectus, vel alia pars antecedens, alia consequens, quae divisio dicitur totius in partes. Et PER FIGURAS. Subaudi: facienda est divisio. FIGURAS vocat exempla quae facta divisione subduntur; quae exempla ideo

<sup>1</sup> Proponatur P, ut mihi visum est] Deponatur P, ut Green-Pedersen visum est

<sup>2</sup> vocem] Green-Pedersen : vocalem P

<sup>3</sup> est add. Green-Pedersen

<sup>4</sup> id est P, ut mihi visum est : idem P, ut Green-Pedersen visum est, qui in item corr.

figurae dicuntur quia per ea quaeque figuramus. Vel PER FIGURAS facienda divisio est ita, videlicet, ut quidam codices habent divisionem locorum per quasdam figuras depictam, et si ita legeris diversis diversa dabis: per species et membra dabis propositioni et per figuras attribues locis.

4| Sequitur: AFFIRMATIO EST CAELUM ESSE VOLUBILE, SI QUIS EFFERAT SIC. (I.4.3/1175A) Id est ea intentione ut ex pluribus vocibus unam faciat affirmationem; potest enim quis unamquamque per se proferre vocem nullam faciens affirmationem vel negationem.

NEGATIO VERO EST »CAELUM VOLUBILE NON EST«, SI QUIS PRONUNTIIET ITA. (I.4.4) Id est ea intentione ut negativam faciat orationem.

UNIVERSALES sunt ut »OMNIS HOMO IUSTUS EST«. (I.4.6) »»Omnis« universaliter consignificat, inquit Aristoteles,<sup>1</sup> id est signum cum universali termino, ut est »homo« et »animal« et his similia. Quare superfluum esse videtur »omnis«, cum nihil aliud significat quam<sup>2</sup> universalis terminus cui coniungitur, sed non est. Universalis quidem terminus ita inventus est, ut omnes simul et unumquodque etiam per se sine aliis rebus quibus impositus est significare possit. Propter hoc igitur ut universalem terminum ab uno tantum secernamus et omnia quibus significandis inventus est significare monstremus, »omne« vel »omnis« universalibus terminis adiungimus. Sicut autem »omne« vel »omnis« universalem terminum a singularitate separat, ita »quoddam« vel »qui[d]dam« eidem coniunctum ad singularitatem revocat, ut: »Quidam homo iustus est«; nihil enim plus »quidam homo« significat quam aliquod individuale nomen.

QUONIAM IGITUR ALIAE PROPOSITIONES PRAEDICATIVAE etc. (I.4.13/1175B) Illatio ab immediatis. Quasi dicat: IGITUR PARTES PRAEDICATIVARUM TERMINOS APPELLAMUS unde hoc QUONIAM ALIAE PROPOSITIONES PRAEDICATIVAE, ALIAE CONDICIONALES SUNT. Quarum, id est condicionalium, partes sunt antecedens et consequens. PARTES PRAEDICATIVARUM vocat has voces, id est »praedicatum« et »subiectum«, quas terminos appellamus, non quod eis imposita sit haec vox quae est »terminus« ut eas significans, sed ut consignificans; praedicatur enim de ipsis ut totum de partibus.

TERMINOS AUTEM VOCO NOMINA ET VERBA (I.4.15)<sup>3</sup> Id est »praedicatum et subiectum« dico idem significare quod »nomen et verbum«. In quo destruuntur veteres, qui praedicatum et subiectum dicunt res esse, non voces. QUIBUS, subaudi nominibus et verbis, NECTITUR PROPOSITIO, id est adiungitur ista vox

<sup>1</sup> Arist. *Int.* 7.17<sup>b</sup>12

<sup>2</sup> quam] per P

<sup>3</sup> NOMINA ET VERBA] VERBA ET NOMINA N, sed cf. app.

quae est »propositio« ut totum, ut domus parieti, tecto et fundamento. Partes propositionis sunt praedicatus et subiectus, qui etiam sunt termini. Ita videlicet praedicatus et subiectus sunt partes propositionis ut HAEC DUO NOMINA, id est hoc nomen et hoc nomen, VOCAMUS PARTES PROPOSITIONIS. A simili. HAEC DUO NOMINA dico entia IN EA PROPOSITIONE ut significatum in significante; IN EA dico in QUA DICIMUS esse hanc materiam vocum, id est »HOMO IUSTUS EST«. Merito dixi HAEC DUO NOMINA, nam »homo« est id, id est nomen, »et iustus« est id, id est nomen/. Quam litteram habes in libro ubi dicitur: UT IN EA PROPOSITIONE QUA DICIMUS: »HOMO IUSTUS EST«, HAEC DUO NOMINA, ID EST »HOMO« ET »IUSTUS«, PROPOSITIONIS PARTES VOCAMUS.

Termini sunt praedicatus et subiectus. Istaе voces et termini sunt, »nomina« et »verba«, id est idem significat »terminus« et »praedicatus« et »subiectus« quod significant istae aliae voces, id est »nomen« et »verbum«. Nomina sunt ut »homo« »iustus«, quae duo vocantur etiam praedicatus et subiectus et terminus et vocantur partes propositionis, id est designantur a partialibus vocibus propositionis, id est a »praedicatus« et »subiectus«.

EODEM ETIAM, id est »homo« et »iustus«, TERMINOS DICIMUS, QUORUM ALTER SUBIECTUS EST, ALTER VERO PRAEDICATUS. SUBIECTUS EST QUI MINOR, PRAEDICATUS QUI MAIOR; »HOMO« QUIDEM MINUS EST QUAM »IUSTUS«. (1.4.16)<sup>1</sup> Non dicit MINUS quod in hac propositione quae est »Homo iustus est« minus significat »homo« quam »iustus«, illud autem plus, sed quod extra consideratum »homo« paucioribus, »iustus« autem pluribus imponitur.<sup>2</sup> Quod habes ubi dicitur: NON ENIM IN SOLO HOMINE IUSTITIA ESSE POTEST. QUONIAM VERO HUIUSMODI etc. (1.4.17/1175c) Partes [11'] praedicativarum sunt termini, id est praedicatus et subiectus quorum alter maior, alter vero minor est, QUONIAM VERO SIMPLICES PROPOSITIONES ALTERUM HABENT PRAEDICATUM TERMINUM HUIUSMODI, id est maiorem, ALTERUM VERO SUBIECTUM HUIUSMODI, id est minorem, A PRIVILEGIO MAIORIS PARTIS PROPOSITIO PRAEDICATIVA VOCATA EST,<sup>3</sup> id est a voce illa quam privam, id est propriam, legit sibi ista vox quae est »maior pars«, id est a significato huius vocis quae est »maior pars«, id est a »praedicato«, vocata est propositio praedicativa.

VERO quod superius habuisti discretivum est. Propositio illa vocatur praedicativa ubi maior terminus praedicatur, et non solum illa, sed et illa ubi

<sup>1</sup> QUORUM QUIDEM ALTER SUBIECTUS EST, ALTER PRAEDICATUS. SUBIECTUS EST TERMINUS QUI MINOR EST, PRAEDICATUS VERO QUI MAIOR, UT IN EA PROPOSITIONE, QUA DICITUR: »HOMO IUSTUS EST«; »HOMO« QUIDEM MINUS EST QUAM »IUSTUS«. N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> imponitur] *fortasse imponatur* P

<sup>3</sup> QUONIAM VERO HUIUSMODI SIMPLICES PROPOSITIONES ALTERUM HABENT PRAEDICATUM TERMINUM, ALTERUM VERO SUBIECTUM, A MAIORIS PRIVILEGIO PARTIS PROPOSITIO PRAEDICATIVA VOCATA EST. N

aequales sunt termini. Quod sic est in libro: SAEPE AUTEM EVENIT etc. (I.4.18) Quaedam simplices propositiones habentes inaequales terminos et quaedam etiam habentes aequales praedicativae sunt pariter, sed in hoc tamen dissimiles sunt, quod est illud: SED IN HIS NECESSE EST HOC EVENIRE UT SI QUIDEM etc. (I.4.19) Quamvis in uno coeant nomine, differunt tamen in praedicatione. Hanc adversationem habes per SED. Quomodo differant in praedicatione ostendit per supposita: UT VERO MINOR terminus DE MAIORE PRAEDICETUR IN Nullo propositione contingit, videlicet neque in naturali neque in contingenti neque in praeterito neque in p<rae>senti neque in futuro.

FIERI AUTEM POTEST etc. (I.4.20/1175D) Quasi dicat: Praedicatus terminus et subiectus singulas voces aliquando sunt ut »homo« »iustus«, et non solum illas, sed etiam orationes. Hoc est quod dicit: FIERI AUTEM POTEST UT <PROPOSITIONUM> PARTES QUOS TERMINOS DICIMUS NON SOLUM IN NOMINIBUS SINGULIS, VERUM IN ORATIONIBUS <INVENIAMUS>.

SED DE HUIUSMODI PROPOSITIONIBUS etc. (I.4.23/1176A) Quasi dicat: Hic tunc modo sub exemplis ostendimus quod »praedicatus« et »subiectus« aliquando singulas voces, aliquando significant orationes, SED DILIGENTIUS DISSERUIMUS DE HUIUSMODI PROPOSITIONIBUS IN HIS COMMENTARIIS QUOS [D] IN LIBRO PERIHERMENIAS ARISTOTELIS<sup>1</sup> CONSCRIPSIMUS. Vel ad id continues ubi dicitur: »Fieri potest ut inveniamus«,<sup>2</sup> sed nos iam invenimus et ideo minime hic iterandum censemus.

CONDICIONALIU VERO PROPOSITIONUM (I.4.24) Versus iste continuatur ad superiora, ubi dictum est: »Praedicatarum propositionum partes terminos appellamus. Condicionalium vero etc.«<sup>3</sup>

HARUM QUOQUE ALIAE SUNT SIMPLICES etc. (I.4.25/1176B)<sup>4</sup> Coniunctio, id est QUOQUE, dat nobis intelligere hanc eandem in praedicativis propositionibus posse fieri divisionem, quamvis eam non fecisset superius. Est autem haec divisio generis in species, illa autem quae praemissa est totius est in partes, sicut superius de praedicativis propositionibus fecit. Divisit enim in species ubi dixit: »Aliae sunt universales, aliae particulares etc.«<sup>5</sup> Item: ALIAE SIMPLICES, ALIAE CONIUNCTAE. Post ea vero divisit in partes ubi dixit: »praedicatarum partes terminos appellamus«.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> IN LIBRO PERIHERMENEIAS ARISTOTELIS ] DE PERI HERMENIAS ARISTOTELIS LIBRO N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> I.4.20/1175D

<sup>3</sup> I.4.13/1175B

<sup>4</sup> ALIAE SUNT SIMPLICES ] ALIAE SIMPLICES N, *sed cf. app.*

<sup>5</sup> I.4.5/1175A

<sup>6</sup> I.4.13/1175B

Condicionalium aliae simplices, aliae coniunctae. Coniunctas vocat eas quae multimodas habent species et per multipliciter minus notas. Simplicium vero quattuor tantum species sunt. Aliae enim CONSTANT EX DUABUS CATEGORICIS AFFIRMATIVIS, aliae EX DUABUS NEGATIVIS, aliae EX AFFIRMATIVA ET NEGATIVA, aliae EX NEGATIVA ET AFFIRMATIVA. Illae quidem quae ex duabus affirmativis constant aut fiunt affirmando inter minus et maius, ut »Si homo est, animal est«, aut inter aequalia, ut »SI ROTUNDUM EST, VOLUBILE EST«, aut inter causam et effectum, ut »Si sol lucet, dies est«, aut inter effectum et causam, ut »Si dies est, sol lucet«. Illae vero quae constant ex duabus negativis fiunt negando aut inter maius et minus, ut »Si animal non est, homo non est«, aut inter aequalia, ut »SI ROTUNDUM NON EST, VOLUBILE NON EST«, aut inter causam et effectum vel effectum et causam, ut »Si sol non lucet, dies non est« vel »Si dies non est, sol non lucet«. Illae autem quae ex affirmativa et negativa constant fiunt aut inter mediata aut inter <im>mediata contraria, ut »Si Socrates albus est, niger non est« »Si sanus est, aeger non est«, aut inter repugnantia, ut »SI QUADRATUM<sup>1</sup> EST, VOLUBILE NON EST«, aut inter disparata, ut »Si lapis est, homo non est«. Illae quidem quae ex negativa et affirmativa constant tantummodo fiunt inter immediata, ut »SI ROTUNDUM NON EST, STABILE EST«.

Sequitur item principalis divisio quae non est condicionalis vel praedicativae propositionis, sed generis, id est propositionis verum [12<sup>7</sup>] falsumve significantis. Quae divisio talis est: PROPOSITIONUM QUOQUE ALIAE SUNT NOTAE PER SE (I.4.29/1176c), aliae sunt notae per aliud. Maximas propositiones dicit notas esse per se ET QUARUM PROBATIO NEQUEAT<sup>2</sup> INVENIRI. Per se notae sunt quia per proprios terminos evidentiam sui ostendunt; earum probatio nequit inveniri quia aliis propositionibus maioribus se nequeunt approbari. Nullo enim modo potest disponi syllogismus quo aliqua maximarum propositionum probetur. Verbi gratia: Si dicas: »Quicquid praedicatur de genere universaliter, praedicatur et de speciebus«, haec maxima propositio non invenio qualiter syllogistice probetur. Nam si dicas: »Utrum »Quicquid praedicatur de genere etc.« sit vera propositio?«, nullam facis quaestionem; nam quod subicitur significatum est et quod praedicatur significans. Item si dicas: »Utrum haec propositio sit vera?«, quaestio quidem bona est, sed nihil ad rem; hic enim nihil quaeritur de maxima propositione, sed hoc tantum utrum »verum« conveniat huic individuae voci quae est »haec propositio«. Item si dicas: »Utrum »Quicquid praedicatur de genere universaliter, praedicetur de speciebus« non valet?«, quaestio equidem bona est, sed probari

<sup>1</sup> QUADRATUM] QUADRANTAL N, sed cf. app.

<sup>2</sup> NEQUEAT] NONQUEAT N, sed. cf. app.

non potest; nam si dicas: »Si »substantia« praedicatum de animali universaliter praedicatur de homine, tum quicquid praedicatur de genere universaliter, praedicatur et de speciebus«, nulla consequentia est, quia in rebus significatis totus syllogismus versatur et eadem res sibi ipsi probandae facit fidem. Cum enim dicis: »Utrum quicquid praedicatur de genere universaliter, praedicetur de speciebus?«, quaeris plane utrum »substantia« et cetera generalissima praedicata de sibi suppositis generibus, id est de animali et ceteris, praedicentur de speciebus, id est de homine et ceteris.

EST AUTEM MAXIMA PROPOSITIO UT HAEC: »SI AEQUALIBUS AEQUALIA DEMAS, QUAE RELINQUUNTUR AEQUALIA SUNT«. (I.4.30) Non est haec maxima propositio, sed expositio eius; una quippe maxima propositio pluribus exponitur modis. Est autem [[maxima]] illa cuius haec expositio est: »De paribus idem iudicium«. Quae, videlicet ista, ita exponitur: »Cui convenit unum par, et reliquum«, vel ita: »Cui aufertur unum par, et reliquum«, vel sicut hic est: »SI AEQUALIBUS AEQUALIA DEMAS QUAE RELINQUUNTUR AEQUALIA SUNT«.

Sciendum autem quod hae diversae expositiones eiusdem maximae propositionis diversis serviunt syllogismis. Illum enim prima probat ponendo, secunda auferendo, et illae duae omnibus paribus aptari possunt diversis modis, tertia vero numeris tantum convenit, cuius syllogismus ita fieri potest: »Utrum de octo et octo ablatis paribus, quae relinquuntur paria sunt?«; »Si de sex et sex ablatis paribus quae relinquuntur paria<sup>1</sup> sunt, tunc de octo et octo a<blatis> paribus quae relinquuntur aequalia sunt; sed hoc est, ergo illud«. Locus a pari. Maxima propositio: »De paribus idem iudicium«. Expositio huius maximae propositionis secundum hunc syllogismum haec est: »SI AEQUALIBUS AEQUALIA DEMAS QUAE RELINQUUNTUR AEQUALIA SUNT«.

QUAE PROPOSITIONES CUM FIDEM SUI etc. (I.4.31/1176D) Quasi dicat: Aliae sunt propositiones quarum probatio nequit inveniri. QUAE PROPOSITIONES CUM FIDEM, id est probabilitatem, SUI GERANT PROPRIA<sup>2</sup> NATURA, id est per praedicatum et subiectum, NON SOLUM ALIENO AD FIDEM NON EGENT ADIUMENTO,<sup>3</sup> VERUM SOLENT ESSE PRINCIPIUM PROBATIONIS QUOQUE, id est probabilitatis sicut et necessitatis, CETERIS propositionibus. IGITUR PROPOSITIONES PER SE NOTAE QUIBUS NIHIL EST NOTIUS INDEMONSTRABILES sunt, quia »non egent alieno adiumento ad fidem«, ET MAXIMAE, quia »natura propria fidem sui gerant«, AC PRINCIPALES, quia sunt aliis »principium probationis«. PER SE NOTAE [12<sup>v</sup>] PROPOSITIONES

---

<sup>1</sup> paria] paribus P

<sup>2</sup> PROPRIA] PROPRIAM N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> ADIUMENTO] ARGUMENTO N, *sed cf. app.*

VOCANTUR INDEMONSTRABILES ET MAXIMAE AC PRINCIPALES. QUAE VERO non sunt per se DICUNTUR DEMONSTRABILES, quia FIDEM capiunt EX ALIENO, AC MINORES, quia HABENT ALIQUID NOTIUS NATURALITER, ET POSTERIORES, quia fit QUAESTIO DE HIS. (I.4.32)<sup>1</sup>

ET DE PROPOSITIONIBUS QUIDEM ISTA SUFFICIENT. (I.4.33) Quasi dicat: Non solum SUFFICIENT tibi illa quae iam ante dicta sunt DE PROPOSITIONIBUS, sed ET ISTA quae modo<sup>2</sup> in ultimis dicta sunt QUIDEM, id est discrete, DE PROPOSITIONIBUS. Hoc est: Illa quae dixi in prima divisione DE PROPOSITIONIBUS ET ISTA etiam quae modo in ultima dicta sunt SUFFICIENT tibi, id est vilia faciant tibi quae alibi dicta sunt, DE PROPOSITIONIBUS, id est respectu horum ali<<a>> parvipendas; per quod praecedens opus commendatur.

5| QUAESTIO VERO EST DUBITABILIS PROPOSITIO (I.5.1) Quasi dicat: Propositionum aliae sunt tales et aliae tales, sed quaestio neutrum horum est, quia dubitabilis propositio est. Et bene dico quaestionem esse propositionem cum <<sit>> dubitabilis quia necesse est in quaestione omnia illa considerari quae dudum praediximus in propositione. Quod sic est in libro: IN QUA NECESSE EADEM OMNIA CONSIDERARI QUAE DUDUM IN PROPOSITIONE PRAEDIXIMUS. Cum dicit DUDUM, mittit te ad praedictas propositionis divisiones excipiendo illam quam posuit ultimam. Ostendit quae sint illa quae dudum praedixit hoc modo: ALIAE NAMQUE SUNT SIMPLICES etc. (I.5.2)

AT SI SUMAT PRINCIPIUM (I.5.4/1177A), id est hanc vocem quae est »quaestio«, quae dicitur principium quantum ad voces sibi suppositas. Et per hoc quod dicit quod quaestio descendit a propositione et sumit principium, materias ipsas vocum, id est significata, accipit, quae diversa sortiuntur vocabula secundum diversa officia, ut haec vocum collectio [est]: »Homo animal est« vocatur propositio, eadem vocatur quaestio si dicas: »Utrum homo sit animal?«, eadem etiam conclusio, ut si dicas: »Ergo homo animal«.

ET QUAESTIO IGITUR ALIAS QUIDEM PRAEDICATIVA, ALIAS QUIDEM<sup>3</sup> CONDICIONALIS EST. (I.5.5) Illatio haec a pari descendit. Quasi dicat: Quandoquidem quaestio alia est simplex et alia composita, igitur alia est praedicativa et alia condicionalis; »simplex« et »praedicativum« paria sunt, »composita« et »condicionalis« paria; cuicumque igitur illa conveniunt, necessario et ista.

---

<sup>1</sup> HIS] EIS N, sed cf. app.

<sup>2</sup> quae modo] quomodo P

<sup>3</sup> QUIDEM] VERO N, sed cf. app.

Sequitur alia illatio a duobus totis in partes suas, haec videlicet: QUO FIT UT EAEDEM SINT PARTES QUOQUE QUAESTIONIS, QVAE DUDUM ESSE DICTAE SUNT PROPOSITIONIS. (I.5.6) Quasi dicat: Quando quaestio est praedicativa et condicionalis, igitur partes quaestionis sunt praedicatus et subiectus et antecedens et consequens.

Sequitur et alia illatio a pari sic: PRAEDICATIVAE IGITUR QUAESTIONES HABENT PRAEDICATUM TERMINUM ET SUBIECTUM (I.5.7) Quasi dicat: Quandoquidem praedicatus et subiectus sunt partes propositionis praedicativae, igitur sunt partes praedicativae quaestionis.

OMNIA VERO QVAE DE PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS DICTA SUNT (I.5.11/1177B) Potest ad proximum continuari versum hoc modo: In hypothetica quaestione id tantum quaeritur an consequens inhaereat antecedenti, sed OMNIA QVAE DICTA SUNT DE PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS EADEM ETIAM IN PRAEDICATIVA QUAESTIONE CONVENIT DICI. Vel continuetur |13<sup>1</sup>| ad superiora, ubi dictum est: »necesse est« in quaestione »eadem omnia considerari quae in propositione« dicuntur.<sup>1</sup> »Omnia quae dudum praediximus in propositione«<sup>2</sup> ut in genere, considerantur in quaestione ut in genere, omnia vero quae dicta sunt de praedicativa propositione ut de specie, dicuntur etiam de praedicativa quaestione ut de specie. Quod sic pones in quaestionem: »Utrum propositio et quaestio conveniant per »praedicativum«?»; »Aut per »praedicativum« conveniunt aut per definitiones suas; sed per definitiones suas non conveniunt, immo disconveniunt; igitur per »praedicativum« tantum conveniunt«. Ab immediatis locus est. Maxima propositio: »Immediatorum ablato uno ab eo in quo naturaliter fiunt ponitur reliquum«. Assumptio et conclusio in libro. Assumptionem aequipollenter habes ubi dicitur: HOC ENIM TANTUM QUAESTIO A PROPOSITIONE DIVERSA EST, QUOD PROPOSITIO etc. (I.5.12/1177C) Sequitur conclusio ubi dicitur: ADDITA IGITUR DUBITATIONE etc.

Possunt et aliter superiora legi. Ita, videlicet, ut versum quem modo assumptionem fecimus redditionem causae facias ad praecedentem ubi dicitur quod OMNIA QVAE DE PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS dicuntur, dicuntur etiam de PRAEDICATIVA QUAESTIONE, ID EST QUOD ALIAE sunt UNIVERSALES, ALIAE PARTICULARES etc. (I.5.11/1177B) Quasi dicat: Merito ista determina[n]te dixi convenire quaestioni, quia in aliis non conveniunt quaestio et propositio. Hoc est quod dicit: HOC ENIM TANTUM QUAESTIO etc. Sequitur illatio a contrariis vel a pari ita: ADDITA IGITUR etc.

---

<sup>1</sup> I.5.1/1176D

<sup>2</sup> I.5.1/1176D



Quae superius diximus communia sunt quaestioni et propositioni, sed ista quae sequuntur <solī> quaestioni conveniunt; hoc est: QUAESTIONIS AUTEM <DUAE><sup>1</sup> SUNT SPECIES etc. (I.5.13/1177c) Circumstantias appellat personam, factum, locum, causam facti, qualitatem et tempus, quae apud rhetoricos inveniuntur.

Quod dicit: HUIUS DUPHICIS QUAESTIONIS (I.5.16/1177d) quidam referunt ad totum quod iam divisit, id est ad quaestionem, quidam vero ad membrum quaestionis quod est hypothesis. Quam, id est hypothesin, duplicem ideo quaestionem vocat quia in quaerendo de re causam quaerendi ostendit.

NUNC VERO DE DIVISIONE THESEOS PERTRACTABO (I.5.18) PERTRACTABO, id est perfecte tractabo vel per aliud tractabo. Bene dico DE DIVISIONE quia in quattuor dividitur species; quod est: QVAE IN QUATTUOR DIVIDITUR SPECIES. Sequitur: IN OMNI ENIM DIALECTICA QUAESTIONE etc. Quasi dicat: Ideo dico PERTRACTABO quia quaestio dubitationem naturaliter habet, et ideo pertractandum est inde ut per hoc quid sit quaestio plenius ostendatur. Subsequens etenim divisio per quaestionem fieri non potest, sed per propositionem. Quaestio quidem de inhaerentia tantummodo praedicati et subiecti querit, non utrum praedicatum aliud sit maius et aliud minus, quod per subsequentem divisionem monstratur. Propter ipsam causam PERTRACTABO, sed ideo IN QUATTUOR SPECIES DIVIDITUR quia praedicatum in quattuor modos<sup>2</sup> dividitur, quod est: CUM VERO ALICUI ALIQUID etc. (I.5.19)<sup>3</sup> Divisionem hanc quae hic attribuit quaestioni superius innuit attribui propositioni ubi ait quod in quibusdam propositionibus maior esset praedicatus subiecto, ut in »Homo iustus est«, in quibusdam aequalis, ut in »Homo risibilis est«. <sup>4</sup> Per hoc quidem quod dicit: PROPONITUR ALIQUID INESSE ALICUI notari vult non debere tales fieri propositiones, ut »Homo homo est« »Animal animal est«, quia hic non PROPONITUR ALIQUID ALICUI, id est diversum in diverso.

Posset fortasse superior versiculus aliter legi, id est: IN OMNI ENIM DIALECTICA QUAESTIONE PRAEDICATIVA. Est autem [13<sup>v</sup>] praecedens huic NUNC VERO DE THESEOS DIVISIONE PERTRACTABO, QVAE IN QUATTUOR DIVIDITUR SPECIES, quod ita legitur: Vere thesis in quattuor dividitur species, quia praedicativa propositio dividitur in totidem, unde hoc ut si propositio in quattuor dividatur, quod et thesis in totidem. A pari. Et vere paria sunt quia materiam habent eandem, et hoc est in libro ubi dicitur: IN OMNI ENIM etc.

<sup>1</sup> DUAE] N et P *infra* in I.5.50/1180A

<sup>2</sup> modos] modis P

<sup>3</sup> ALICUI ALIQUID] ALIQUID ALICUI N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> I.4.16-18/1175B-C

Versiculus iste ostensio paritatis est, sed qui sequitur assumptio est praecedentis propositionis in qua dicimus: »Si propositio praedicativa dividitur in quattuor species, et thesis; sed propositio praedicativa in quattuor dividitur species«. Hoc est quod dicit: CUM VERO ALICUI ALIQUID etc. Quasi dicat: Praedicativa propositio alia constat ex praedicato maiori et substantiali, alia ex maiori et accidentali, alia ex aequali et substantiali, alia ex aequali et accidentali. Aequipollenter habes in libro litteram. Per hanc autem vocem quae est »substantia«, quam frequenter hic ponit, voces subiecto suppositas ostendit. Nec mirum, cum habeas in Categoriis voces tantummodo per substantiam significare, ubi tractat de primis substantiis atque secundis.<sup>1</sup>

CUM VERO ALIQUID ALICUI INESSE PROPONITUR, ID AUT MAIUS ERIT eadem et plura significando et CONTENDIT,<sup>2</sup> id est tendit cum subiecto, INESSE EI SUBSTANTIALITER, id est praedicari de vocibus universaliter quae substantiae, id est substantes sunt ipsi subiectae<sup>3</sup> (CONTENDIT,<sup>4</sup> dico, INESSE ita quoque ut eodem modo significet, videlicet praedicando in quid); AUT MAIUS QUIDEM ERIT, SED NON DE SUBSTANTIA EIUS PRAEDICABITUR. MAIUS hic accipit quasi »continentius«, ut sunt accidentia, ut album quod quamvis de homine praedicetur, tamen non praedicatur determinate<sup>5</sup> et universaliter et eodem modo significando DE SUBSTANTIA EIUS, id est de vocibus suppositis homini; AUT ERIT EI AEQUALE ET IN SUBSTANTIA PRAEDICABITUR universaliter et eodem modo significando; AUT EI ERIT AEQUALE, SED MINIME EIUS SUBSTANTIAM CONTINEBIT, ut risibile est aequale homini, sed MINIME, id est parum, CONTINEBIT SUBSTANTIAM, id est voces suppositas homini.

»Homo« quidem significat voces sibi suppositas significando proprie rerum essentiam atque qualitatem. Idem enim eodem quoque modo significat »homo« ut sua definitio, id est »animal rationale mortale<sup>6</sup>«; »animal« autem rerum essentiam significat, »rationale« quidem et »mortale« qualitatem. Habes igitur quomodo »homo« rerum essentiam atque qualitatem significat. »Risibile« vero quamvis de homine universaliter praedicetur, hominis tamen qualitatem tantum significat, non etiam essentiam. Et propter hoc dicit: MINIME EIUS SUBSTANTIAM CONTINEBIT. Ideo praedicatum aut maius aut aequale tantum,

---

<sup>1</sup> cf. Arist. Cat. 5.2<sup>b</sup>29-3<sup>a</sup>6

<sup>2</sup> CONTENDIT] CONTENDITUR N

<sup>3</sup> subiectae] an subiecto scribendum?

<sup>4</sup> CONTENDIT] CONTENDITUR N

<sup>5</sup> determinate] determinatae P

<sup>6</sup> mortale] in (ex m. i.e. mortale male lecto ortum) P

quia nullum aliud inveniri potest; hoc habes in libro ubi dicitur: NAM UT ID QUOD MINUS EST etc. (1.5.20/1178A)

Praedicatur maius aliud substantiale, aliud non substantiale, sed praedicatum maius et substantiale genus est; hoc est ubi dicitur: SED SI TALE EST etc. (1.5.21) Sub hoc versu comprehendi volunt omnia \maiora/, tam specialia quam generalia, immo etiam aequivoca nomina, et omnia aequae vocari genus quia in eo quod quid de substantia subiecti praedicantur, ut si dicas: »Quid est Socrates?«, respondetur: »Homo«; et si dicas: »Quid est homo?«, respondetur: »Animal«; et si dicas: »Quid est latrabile animal?«, respondetur: »Canis«. Et dicunt non debere mirum videri si »genus« ista vox aequivoce multis vocibus propter similitudinem universalitatis imponatur, cum constet quod \homo/ quamvis univoca vox sit – species enim animalis est – imponatur picturae propter similitudinem et sic aequivoca fiat. Sic quoque »genus« ista vox quamvis sit univoca eo respectu quo generalibus tantum vocibus imponitur, fit tamen aequivoca eo [14'] respectu quo omnes universales significat voces, sicut in hoc loco. Quod sic in libro disponitur: SI TALE EST QUOD IN QUAESTIONE PROPONITUR, UT SUBIECTO SIT MAIUS ET DE SUBIECTI SUBSTANTIA PRAEDICETUR, ERIT GENUS. In quo plane omnia maiora substantialia genus vocat. Vere omnia maiora universaliter de subiecti substantia praedicabilia quia omne genus maius est eo de quo praedicatur. A causa. Quae quamvis probabilis sit, non necessaria tamen est.

Ostendit sub exemplo quod praedicatum sit maius et substantiale: UT ANIMAL HOMINIS. Ostendit etiam quod sit maius et non substantiale hoc modo: AT SI MAIUS QUIDEM FUERIT etc. (1.5.22) Ostendit etiam quod sit aequale et substantiale hoc modo: QUOD SI AEQUALE QUIDEM SIT, SED SUBSTANTIALE etc. (1.5.23) In quibus paribus, id est in definitione et definito, notandum est quod alterum alterius essentia est. Nam si quaeras: »Quid est homo?« de voce, respondetur: »Animal rationale mortale«. Si autem quaeratur de re, id est de significato huius vocis quae est »homo«, sufficit respondere: »Animal«, sine »rationale« et »mortale«; deinde vero si quaeratur: »Quale sit animal homo?«, conveniens est respondere: »Rationale mortale«. Sic fit ut per »animal rationale mortale« ostendatur definitae vocis, id est »hominis«, essentia tantum; rei autem quae significatur essentia et qualitas simul per has tres voces ostenditur.

Sequitur ostensio quod praedicatum sit aequale et non substantiale hoc modo: QUOD SI AEQUALE QUIDEM SIT, SED A RATIONE SUBSTANTIAE SEIUNCTUM etc. (1.5.24) »Risibile« quidem aequale est homini tantumdem quantum et »homo« significando, sed tamen seiunctum est a ratione substantiae hominis, id est a proprietate significationis vocum suppositarum homini, per hoc videlicet quod illae significant in eo quod quid, »risibile« autem in quale.

Sequitur illatio a paribus ita: ITAQUE DIALECTICAE SIMPLICES QUAESTIONES FIUNT AUT DE GENERE AUT DE ACCIDENTE <AUT> DE DEFINITIONE AUT DE PROPRIO. (1.5.25/1178B) Quasi dicat: Quandoquidem dialecticae quaestiones simplices aliquando fiunt de maiori et substantiali, itaque fiunt de genere, et quandoquidem fiunt de maiori et <non> substantiali, itaque fiunt de accidenti, et quandoquidem fiunt de aequali et substantiali, itaque fiunt de definitione, et quandoquidem fiunt de aequale et non substantiali, itaque fiunt a proprio; quas illationes omnes in eodem habes versiculo. Maxima propositio haec est: »De paribus idem iudicium«. Scilicet quia illa conveniunt quaestioni, ergo et ista quae praedictorum paria sunt eidem convenire necesse est.

Sequitur vero: POSSUNT VERO FIERI etc. (1.5.26) Quasi dicat: Ego dedi quattuor tantum species dialecticae simplicis quaestionis, sed tamen videntur esse plures quam quattuor quia quaestio de differentia simplex est et quaestio de comparativo et de idem. Primum ostendit de quaestione de differentia, deinde de ceteris, et accipit hic differentiam substantialem quam Porphyrius appellat »per se«,<sup>1</sup> ut est rationale et istae aliae voces »habere IMPERIUM LEGIBUS« et »premere POPULUM VIOLENTA DOMINATIONE«. Rationale quidem substantiale est homini et Deo, illae autem aliae voces quae »duae« differentiae sunt substantiales sunt, alia principi, alia tyranno, non significatis rebus, sed ipsis significantibus vocibus. Quod si quaeratur cuius generis species sint tyrannus et princeps, dicemus potentis.

SED TANTUMDEM EST DE DIFFERENTIA QUAERERE etc. (1.5.27) Quasi dicat: Ostendi qualiter fit quaestio de differentia, sed iste modus quaestionis non impedit sententiam supradictam, videlicet quin quattuor tantum species quaestionis sint; nam quaestio de differentia comprehenditur sub illa specie quae est quaestio de genere.

AUT ENIM CONSTITUTIVA ERIT DIFFERENTIA AUT DIVISIBILIS. (1.5.28) Constitutivam differentiam vocat illam quae assumit sibi alias differentias et ita constituit speciem, ut si dicas: »Rationale mortale est homo« »Rationale immortale est Deus« »Animatum sensibile est animal«, habes itaque quod rationale et animatum sunt constitutivae; sic et in aliis pluribus fieri potest. LOCUM GENERIS appellat differentiam illam, quam genus vel differentia quae pro genere ponitur assumit quando speciem aliquam definit; hoc est quod dicit: SI CONSTITUTIVA FUERIT, OBTINET LOCUM, id est differentiam aliam. LOCUM dico entem sui, sui dico entis QUASI GENERIS. Ostendit sub exemplo quomodo constitutiva differentia QUASI GENERIS OBTINET LOCUM; quod est: UT RATIONALITAS<sup>2</sup> HOMINI etc. Si autem constitu[[tiv]]as hominem per

<sup>1</sup> Porph., *Isag.* 9,10f.

<sup>2</sup> RATIONALITAS] RATIONABILITAS N, sed cf. app.

rationalitatem, dices ita: »Homo est rationalitas cum mortalitate vel mortali«, aut ita: »Homo est habens rationalitatem cum mortalitate«. Quamvis enim rationalitas de homine non praedicatur, hoc modo tamen constituit hominem. Vel sit ostensio a simili, non quod rationalitas sit constitutiva differentia vera, sed ita constitutiva quaelibet alia locum obtinet quasi generis, sicut rationalitas est constitutiva quodammodo.

Caelestia corpora vocat solem et lunam et [14<sup>1</sup>] planetas, quae quia certo ordine semper [[volv]] moventur quibusdam philosophis rationabilia esse videbantur.

AT SI DIVISIBILIS, VELUT SPECIES CONSIDERATUR. Quasi dicat: Constitutiva differentia quasi generis obtinet locum, sed divisibilis consideratur velut species, id est aequatur speciei in significatione, ut »corporeum« coaequatur »corpori« et »animatam« huic speciei quae est »animatum corpus«, quod planum esset si aliquod unum nomen species esset, ut hic »sensibile« aequatur »animali«. Ostendit quod re una divisibilis differentia consideratur velut species quia convertitur cum ea. A causa. Hoc est quod dicit: OMNIS ENIM SPECIES CUM DIVISIBILI DIFFERENTIA EST, id est coartatur in consignificationem differentiae quae dividit genus ipsius speciei. Sciendum autem quod eadem differentia constitutiva et divisibilis est, et illud sciendum quod sicut et genus ita et species maius et substantiale est quantum ad individua et<sup>1</sup> concluditur secundum Boethium genus esse, et cum omnis differentia aut constitutiva sit aut divisibilis, quarum altera loco generis ponitur, altera loco speciei, palam est quod quaestio de differentia est quaestio de genere; hoc est quod dicit: QUOD SI DIFFERENTIA etc. (I.5.29/1178c) Consequentia est inter effectum et causam. Posterior pars huius versus prius legatur, videlicet AMBIGI NON POTEST etc., deinde prima particula, id est QUOD, id est quod c(ausa?) est, deinde tota condicio, id est SI DIFFERENTIA etc.

ACCIDERE VERO POTEST etc. (I.5.30) Quasi dicat: Non solum videbatur infringi praedicta mea sententia per quaestionem de differentia, sed et per hoc videtur infringi quia fit quaestio de comparativo. Sed per hoc non falsificatur quin quattuor tantum sint species theseos. Nam quaestio de comparativo est quaestio de accidenti, quae est una de quattuor speciebus.

RURSUS POTEST DE EO QUOD EST IDEM FIERI CERTAMEN (I.5.31) Quasi dicat: Per hoc etiam infringi videtur praemissa sententia quia fit quaestio de hac voce quae est »idem«, quae est par omni definitioni, sed non infringitur per hoc quia quaestio de idem est quaestio de definitione; et hoc est quod dicit: SED HAEC QUAESTIO DEFINITIONI EST AGGREGANDA. Ostendit causam cur dixerit quod quaestio de idem sit quaestio de definitione, videlicet ideo quia paria sunt »idem« et omnis oratio quae definitio nuncupatur, et ex hoc paria esse

---

<sup>1</sup> et] ex P

probantur quia quibuscumque convenit eadem oratio dicta definitio, convenit et ista vox quae est »idem« in designatione sui; hoc est quod dicit: QUARUM ENIM RERUM EADEM EST DEFINITIO, IPSAE QUOQUE EAEDEM SUNT Q()R(), quod probat a simili sic: QUARUM VERO DIVERSA SUBSTANTIAE RATIO EST etc.

Sequitur illatio ab immediatis ita: IGITUR SIMPLICIS DIALECTICAE QUAESTIONIS RECTE QUATTUOR SPECIES ESSE DICUNTUR (I.5.32) Quasi dicat: Quandoquidem quaestio de differentia non est recta species quaestionis, ut putabatur, neque quaestio de comparativo neque quaestio de idem, igitur quattuor tantum sunt rectae species quaestionis. Aut quattuor tantum sunt aut plures; sed non sunt plures; igitur quattuor tantum. DE QUIBUS SUFFICIENTER DICTUM EST.

Et quia de his sufficienter diximus, cum sit intentio nostra et de aliis dicere et quia<sup>1</sup> NUNC DE CONDICIONALIBUS TRACTANDUM<sup>2</sup> EST. QUARUM QUIDEM ALIAE CONSTANT EX DUABUS AFFIRMATIVIS, id est stant per materiam duarum propositionum affirmatarum, ita videlicet ut sint cum eis in designatione earundem rerum, ALIAE EX DUABUS NEGATIVIS etc. (I.5.33/1178D)

Quandoquidem EX DUABUS AFFIRMATIONIBUS CONSTAT quaestio, igitur ID QUAERITUR AN AFFIRMATIO AFFIRMATIONEM SEQUATUR (I.5.34) ID QUAERITUR dico SI PROPOSITIO CONDICIONALIS ex qua ipsa quaestio fit CONSTAT EX DUABUS AFFIRMATIONIBUS. A causa vel a simili. Et SI PROPOSITIO, id est quaestio, thesis enim dicitur propositio vel propositum, si quaestio, inquam, facta [[negatur]] EX DUABUS NEGATIVIS/ SIT IUNCTA ipsis idem significando, †QUOD est† ID IN DISCEPTATIONE, id est in quaestione[m], EST AN <NEGATIONEM> NEGATIO [A] COMITETUR.<sup>3</sup> Sequentem quoque verum eodem modo praepostere legas sicut hunc, quia aliter quod propositum improprie legeretur. COPULETUR dicit, id est aliter consignificando, aliter dico hypothetice.

AC PRIUS QUIDEM EIUS QUAESTIONIS DIVISIO FACIENDA EST (I.5.35) Quasi dicat: Quattuor sunt ut ostendimus [15<sup>r</sup>] species condicionalis quaestionis ac prius quidem subdividemus illam speciem quae constat ex duabus affirmativis, quia secundum materiam atque divisionem propinquior est praedicativis quaestionibus, ut<sup>4</sup> supra dictum est. Quod habes ubi dicitur: QUAE PRAEDICATIVARUM PROPOSITIONUM etc. Vere quaestiones condicionales constantes ex duabus affirmativis NON EFFUGIUNT DIVISIONEM

---

<sup>1</sup> quia] quae P

<sup>2</sup> TRACTANDUM] PERTRACTANDUM N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> AN NEGATIONEM NEGATIO COMITETUR N

<sup>4</sup> ut] unde P

PRAEDICATIVARUM PROPOSITIONUM, nam condicionales propositiones ex quibus huiusmodi quaestiones descendunt eandem habent materiam praedicativarum vel eandem divisionem. Locus a causa vel a simili. Quod est illud: NAM UT PRAECEDAT ALIQUID etc. (I.5.36/1179A)

IN HIS REBUS, id est in his materiis, QUAS PAULO SUPERIUS COMMÉMORAVI, id est quas dixi esse in praedicativis quaestionibus, SOLET EVENIRE UT ALIUD ANTECEDAT, id est ut alia pars dicatur antecedens, ET ALIUD CONSEQUATUR, id est alia pars dicatur consequens. IN HIS FERE, id est paucis superadditis, vel quia superadditur signum condicionis, id est »si«, vel quia in praedicativis quaestionibus una affirmatio tantum [[s.ne]] sine condicione consideratur, in his autem \duae/ cum condicione. Ostendit quod condicionales propositiones ex quibus quaestiones fiunt non effugiunt divisionem praedicativarum hoc modo: SPECIEM QUIPPE SEQUITUR GENUS etc. (I.5.37)

Quaeritur autem quare posuit hanc vocem quae est AETHIOPS in exemplis pro speciali voce, cum non sit species, sed gentile nomen, ut »Graecus« »Italus« »Hispanus« »Gallicus«. In quo nomine, videlicet AETHIOPS, dicimus auctorem universalitatem tantum considerasse et secundum hoc speciem [[considerass]] nuncupasse; nec mirum quia species huiusmodi universalis aequivoce nominet cum omnia substantialiter universalis superius genera nuncupasset. Quae consequentia talis est: »SI AETHIOPS EST, NIGER EST«. (I.5.38)

Ostensis differentiis condicionalium propositionum ex quibus quaestiones illae fiunt quae constant ex duabus affirmativis, ostensis, imquam, illis differentiis quas a praedicativis propositionibus assumunt, subiungit seorsum quasdam alias earundem propositionum differentias. Quas ideo seorsum ponit quia condicionales propositiones ex duabus affirmationibus constantes <eas> non assumunt a praedicativis propositionibus a quibus praedictas sumunt. Subiungit, imquam, sic: PRAETEREA<sup>1</sup> ALIAS QUIDEM EFFECTUS CAUSAM etc. (I.5.39/1179B) De his quidem differentiis, id est de causa et effectu vel effectu et causa vel de toto ac partibus et e converso vel de principali nomine et modo et e converso, sciendum est quod<sup>2</sup> numquam in categoricis, semper vero in hypotheticis propositionibus inveniuntur, quarum exempla sunt haec: »SI SOL PRAESTO EST, LUCET«, id est si PRAESTO comitatur hanc vocem causalem quae est SOL, et LUCET ista vox effectualis comitatur illam eandem vel illam \quae est »aer«/. Si quis autem opponat nobis dicens antecedens et consequens eidem rei debere imponi sicut praedicatum et subiectum, dicimus non esse verum in multis, ut si dicas: »Si Aeneas pater est, Iulus filius est«. In omnibus itaque relativis habes quod si alterum sit antecedens, et alterum erit consequens.

<sup>1</sup> PRAETEREA] PRAETER HAEC N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> quod] quidem P *ut videtur*

Non est igitur mirandum si SOL et LUCET diversis rebus imponantur, cum alterum causa sit, alterum vero effectus, quae relativa sunt. Habes fortasse et in aliis compluribus idem, ut si dicas: »Homo est asinus« vel »Homo est lapis«. Falsum est ergo dicere praedicatum et subiectum aut antecedens et consequens idem ubique significare.

Subiungitur quoque exemplum condicionalis propositionis inter effectum et causam hoc modo: »SI QUID EXUSTUM EST, IGNIS AFFUIT«, id est si aliquam vocem comitatur haec vox quae est EXUSTUM, et istam aliam vocem quae est IGNIS comitabitur ista alia vox quae est AFFUIT in designatione eiusdem rei. In quo manifestum est verum esse quod supra diximus, videlicet quod alias res antecedens et alias consequens quandoque significat; aliud enim significat EXUSTUM EST et aliud IGNIS AFFUIT.

Quaeritur tamen utrum haec oratio quae dicta est propositio sit. Ex hoc enim non esse videtur quia IGNIS AFFUIT nihil significare contenditur. Ignis enim ille qui affuit iam omnino periit. Verbi gratia: Si lapidem iam dudum perustum atque in pulverem redactum accipias et dicas: »Si lapis perustus est, et ignis affuit«, »lapis« quidem et »perustus« aliquod significat, videlicet pulverem qui ex lapide factus est, »ignis« autem significatum nullatenus manet; nam flamma illa quae lapidem redegit in pulverem omnino iam periit, quamvis quidam fatui \asserant/ nullam [15'] perire substantiam. Quod si verum est, dicamus plane quod omnes animae irrationalium animalium et rationalium immortales sunt; quod quia dicere nefas est, quaeramus aliam praedictae quaestionis solutionem. Dicamus ergo non debere videri incongruum si propositiones conectant voces etiam illae quarum significata iam non sunt [[ut »Anima bovis fuit«, quaedam quoque quarum significata praesentia sunt, ut »homo animal est«, quaedam etiam quarum significata]], sed fuerunt tamen, ut si dicas: »Ignis fuit« »Anima bovis fuit«. Solet etiam fieri propositio de his vocibus quarum significata nec sunt nec fuerunt, sed tantum futura sunt, ut si dicas: »Puer nascetur« »Antichristus veniet«. Habes ergo quod voces quaedam propositionem faciunt quorum iam significata tantummodo futura sunt, ut »Antichristus nascetur«. Illae vero quarum significata neque fuerunt neque sunt neque futura sunt nullatenus propositionem facere possunt, ut si dicas: »Chimaera currit«, nulla propositio est; significata enim harum vocum neque fuerunt neque sunt neque futura sunt.

Sequitur: MODUS ETIAM SEQUITUR PRINCIPALE NOMEN (1.5.41) Modum vocat adverbiales voces quae ponuntur in consequentia nominum a quibus derivantur. Quae voces, id est adverbiales, ideo dicuntur MODUS quia modificant et determinant verba quibus coniunguntur, ut si dicas: »legit«,<sup>1</sup> indeterminatum est; cum vero addis »bene« vel »male« »multum« vel »parum« et

<sup>1</sup> legit] legis P a.c. ut videtur



his similia, iam modificas et ad unum quidem reducis verbum quod prius in incertum vagabatur. PRINCIPALE vocatur nomen respectu adverbialis vocis quae ab eo derivatur.

QUAE CUM ITA SINT (1.5.43) Id est: Cum istae differentiae quas supra diximus considerentur in condicionalibus propositionibus quae ex duabus affirmativis constant, considerabuntur etiam in his quaestionibus quae ab ipsis descendunt, id est quae ex duabus affirmativis constant. Locus a simili vel a causa.

ATQUE HAEC DE EA QUAESTIONE INTELLECTA<sup>1</sup> etc. (1.5.44/1179C) Quasi dicat: Ne sit tibi mirum quod quasi contrarias voces eidem rei dederim, videlicet SIMPLICIS et COPULATAE EX DUABUS AFFIRMATIVIS<sup>2</sup>, quia CUM quaestio SIT HYPOTHETICA SIMPLEX, EX DUABUS TAMEN IUNGITUR AFFIRMATIVIS.

Sequitur: IN HISDEM ETIAM DIFFERENTIIS etc. (1.5.45) Quasi dicat: Non solum quaestiones illae quae ex duabus affirmativis constant in praedictis consistunt differentiis, sed etiam illae quae ex duabus negativis constant. Et merito, quia condicionales propositiones ex quibus descendunt in eisdem versantur differentiis; non ut superius ordinatis, sed transpositis. Quod est ubi dicitur: NAM SI GENUS NON EST, SPECIES NON EST. Id est si generalis vox negetur in aliqua propositione condicionali, et species negabitur. Item si differentia vel definitio vel proprium negetur, species negabitur. Et ita habes quod condicionales propositiones quae ex duabus constant negativis in praedictis versantur differentiis [[non ut superius ordinatis]]; aliae namque sunt inter genus et speciem, aliae inter definitionem et definitum etc.

ET DE CETERIS QUIDEM etc. EODEM MODO CONSIDERANDUM EST. (1.5.46) Quasi dicat: Sicut vides in his exemplis quae proposuimus quod negato uno negatur et alterum, ita est et de ceteris supradictis quorum hinc exempla desunt. Vere EODEM MODO CONSIDERANDUM EST quia QUICQUID ANTECEDIT in illis propositionibus quae ex duabus affirmativis constant UT ALIUD CONSEQUATUR, SI ID QUOD CONSEQUITUR NON FUERIT, NE ILLUD QUIDEM EST QUOD ANTECEDIT. Vel ita: Bene dixi eodem modo considerandum esse in ceteris, scilicet in effectu et causa, in toto et partibus, in modo et principali nomen et in accidentibus, quod negato consequenti negatur antecedens in omnibus illis, quia omni vero consequenti \negato antecedens negatur. Locus a toto. Nom enim in his tantum consequens consideratur, sed in genere et aliis; et hoc est quod aequipollenter dicit: QUICQUID ENIM etc./

Ostensa materia et divisione duarum specierum condicionalium quaestionum, earum videlicet quae constant ex duabus affirmativis et earum quae constant ex duabus negationibus, ostendit consequenter materiam et divisionem tertiae

---

<sup>1</sup> INTELLECTA] INTELLEGENDA N

<sup>2</sup> AFFIRMATIVIS] AFFIRMATIONIBUS N

speciei, scilicet earum quae constant ex affirmatione et negatione, hoc modo: EARUM VERO QUAESTIONUM etc. (I.5.47/1179D)

ILLA FERE DIVISIO EST etc. FERE ideo dicit quia non apponit hic quod postea subiungit, id est videlicet »quolibet alio modo sibimet inconvenientia«,<sup>1</sup> quae sunt disparata.

Quod autem sequitur, id est UT ENIM AFFIRMATIONEM NEGATIO etc., probatio est a causa, vel a simili sicut superius habuisti. Quasi dicat: Vere quaestio ex affirmatione et negatione constans diversa genera vel diversas species vel contraria vel privationem et habitum materiam habet, quia propositio condicionalis ex qua ipsa descendit eandem habent materiam. Hoc est quod dicit: UT ENIM AFFIRMATIONEM NEGATIO CONSEQUATUR etc. Quod autem dicit pluraliter »privationes« intellegendum est tam ad hoc quod supponitur exemplum quam ad alia privantia quae desunt.

ITAQUE UT PROPOSITAM AFFIRMATIONEM etc. (I.5.48/1180A) Illatio a causa vel a pari. Quasi dicat: Quandoquidem propositio illa condicionalis ex qua praemissa species quaestionis descendit diversa genera et species et contraria et privantia aut quaelibet disparata materiam habet, ergo et praemissa species quaestionis quae ex ea fit eandem habet.

UT AUTEM NEGATIONEM AFFIRMATIO CONSEQUATUR etc. (I.5.49) Quasi dicat: Tertia species condicionalis simplicis quaestionis materiam habet diversa genera et diversas species aut contraria aut privantia aut quolibet modo disparata, sed quarta species NON POTEST FIERI NISI IN HIS CONTRARIIS QUAE MEDIO CARENT ET QUORUM ALTERUM SEMPER INESSE<sup>2</sup> NECESSE EST quae est talis UT [16'] NEGATIONEM AFFIRMATIO CONSEQUATUR. Et merito hanc a supradictis separo ut sit per se species, quia eam in quarta differentia superius constituimus; hoc est ubi dicitur: QUAE ERAT QUARTA CONDICIONALIS PROPOSITIONIS DIFFERENTIA. Vere quarta species quaestionis simplicis condicionalis contraria QUAE MEDIO CARENT ET QUORUM ALTERUM SEMPER INESSE NECESSE EST materiam habet et constat ex negatione et affirmatione quia propositio ex qua fit eodem modo se habet; hoc in praemisso habes versu, qui est: UT AUTEM NEGATIONEM AFFIRMATIO CONSEQUATUR etc.

Subiungit exempla condicionalis simplicis propositionis contraria immediata et ea QUORUM ALTERUM SEMPER INESSE NECESSE EST materiam habentis et ex negatione atque affirmatione constantis hoc modo: »SI DIES NON EST, NOX EST« »SI TENEBRAE NON SUNT, LUX EST«. Videtur incongrua contrariorum dedisse exempla: dies enim et nox quantitates sunt, partes quippe temporis sunt,

<sup>1</sup> I.5.48/1180A

<sup>2</sup> INESSE] ESSE N, sed cf. app.

quare contraria non sunt. »Quantitati enim«, inquit Aristoteles, »nihil est contrarium.«<sup>1</sup> Quoniam igitur dies et nox in eo quod quantitas sunt contraria non sunt, dicendum est quo eo respectu contraria sint quo qualitativa sunt. Qualitativa quidem sunt quando aeri imponuntur, ut si matutinum aut vespertinum tempus volens ostendere dicam: »Dies est« »Nox est«, id est »Aer lucidus est« »Aer obscurus est«. Quandocumque ergo pro qualitate aeris ostendenda ponuntur, contraria sunt, nec sunt partes temporis, sed qualitativa tantum nomina quae a nulla tamen qualitate denominative dicuntur, ut sunt »cursor« »pugillator« »studiosus«. Quando vero pro mora ac cursu solis aut pro nostrae actionis mensura ostendenda ponuntur, partes sunt temporis et nullatenus contraria sunt; quantitates enim sunt, ut si dicas: »Diem et noctem unam Lauduni moratus sum« »Diurnum est hoc opus« »Nocturnae sunt vigiliae«. Illa vero quae sequuntur, id est TENEBRAE et LUX, absque controversia contraria sunt; proprie enim qualitativa sunt.

Quod autem sequitur, id est FACTA IGITUR PRAEDICATIVARUM ET CONDICIONALIU QUAESTIONUM DIVISIONE (I.5.50), illatio est ab effectu in causam. Descendit autem ab eo loco superiori ubi dictum est: »Quaestionis autem duae sunt species: Una quidem<sup>2</sup> a dialecticis dicitur thesis, altera vero hypothesis, et thesis quidem philosophis ac maxime dialecticis attributa est.«<sup>3</sup> Ab hoc ultimo praedicta sumitur illatio ita: Quandoquidem dialectici maxime utuntur thesi, ergo ipsa thesis constat ex physica, ethica, logica.

PRAETEREA OMNIS QUAESTIO VEL SIMPLEX VEL COMPOSITA. (I.5.51/1180B) Quasi dicat: Praeter has quaestionis quae superius datae sunt divisiones dividitur ita: OMNIS QUAESTIO VEL SIMPLEX VEL COMPOSITA. Notandum vero has voces, id est SIMPLEX et COMPOSITA, hic aliter quam superius debere accipi. Superius quidem in divisione quadam »simplex« categoricas, »compositum« vero hypotheticas significabat propositiones. Item in hypotheticarum divisione significabat »simplex« eas tantum quae ex duabus constabant categoricis, »compositum« vero eas quae ex pluribus. In hac autem quam modo dat divisionem significat SIMPLEX quaestiones illas quae ex duabus tantum vocibus constant, id est ex singulari subiecto et ex singulari praedicato, COMPOSITA vero eas significat quae in subiecto vocem unam habent, in praedicato autem plures, vel quae in subiecto plures, in praedicato autem unam tantum habent, vel eas quae in utroque termino plures habent.

---

<sup>1</sup> Arist. *Cat.* 6.5<sup>b</sup>11

<sup>2</sup> quidem] quae N

<sup>3</sup> I.5.13-16/1177C-D

Ostendit quae sit simplex quaestio hoc modo: SIMPLEX EST<sup>1</sup> QUOTIENS AFFIRMATIONE ET NEGATIONE DIVIDITUR etc. (I.5.52) Quasi dicat: Illa quaestio dicitur simplex quae continet unius tantum materiam affirmationis et unius tantum negationis, ut haec: »AN<sup>2</sup> SIT CAELUM ROTUNDUM NECNE?«. Per eam partem quae est SIT CAELUM ROTUNDUM habes materiam unius affirmationis, per eam vero quae est NECNE habes materiam unius tantum negationis, id est »Utrum caelum non sit rotundum?«. ITA UT TOTAM<sup>3</sup> ALTERI AFFIRMARE, totam ALTERI NEGARE NECESSE SIT. Affirmatio et negatio in praedicato maxime consistit, totam autem quaestionem alteri adversariorum necessario affirmare aut totam negare dicit quia cum affirmat praedicatum convenire subiecto, affirmat subiectum convenire praedicato, et cum negat praedicatum aliquod cohaerere, negat quoque subiectum illud convenire praedicato illi.

NAM CUM ALTER ESSE DEFENDIT etc. Probat ab effectu quod altera pars simplicis quaestionis tenet affirmationem et altera negationem hoc modo: »Utrum una pars quaestionis sit tenens affirmationem?«; »Si defendens est affirmans, tunc altera pars quaestionis [16<sup>v</sup>] tenet affirmationem; sed hoc est, ergo illud«. Ab effectu. Maxima propositio: »Posito effectu ponitur causa«. Hoc est quod dicit: NAM CUM ALTER ESSE DEFENDIT, AFFIRMAT. »Utrum altera pars quaestionis teneat negationem?«; »Si defendens negat, tunc altera pars quaestionis [[a]] tenet negationem«. Ab effectu eodem modo. Assumptio est in libro ubi dicitur: NEGAT VERO ALTER CUM NON ESSE CONTENDIT. Ista vox quae est »pars« imponitur \hic/ huic voci quae est »haec materia« vel »haec vox« per quam potes dividere quaestionem.

Subiungit ostensionem compositae quaestionis hoc modo: COMPOSITA VERO QUAESTIO EST etc. (I.5.53) Huius exemplum tale est: »UTRUM CAELUM ROTUNDUM SIT AN QUADRATUM AN LONGUM?«. Quaestio haec non in unam tantum affirmationem atque negationem tendit, sed in plures; continet enim affirmationes tres atque totidem negationes, ut si dicas: »Utrum caelum sit rotundum?« »Utrum caelum sit quadratum?« »Utrum caelum sit longum?« et »Utrum caelum non sit longum?« etc. Quod est illud: HIC PLURIMAS<sup>4</sup> AFFIRMATIONES PROBARE NECESSE EST etc.

ET DE QUAESTIONE QUIDEM, QUANTUM AD PRAESENS NEGOTIUM <PERTINEBAT><sup>5</sup>, SUFFICIENTER DICTUM EST. (I.5.54) Quasi dicat: Diximus

<sup>1</sup> EST om. N, sed cf. app.

<sup>2</sup> AN om. N, sed cf. app.

<sup>3</sup> TOTAM] TOTUM N, sed cf. app.

<sup>4</sup> HIC PLURIMAS] HIC ENIM PLURIMAS N

<sup>5</sup> <PERTINEBAT> N et P infra

de propositione quantum ad praesens negotium pertinebat, ET DE QUAESTIONE QUIDEM, QUANTUM AD PRAESENS PERTINEBAT NEGOTIUM, SUFFICIENTER DICTUM EST.

6| Ostensa divisione et materia quaestionis consequenter tractat de conclusionem quia conclusio probat ipsam quaestionem atque ex materia ipsius fit. Potest autem et hoc modo continuari: Quaestio talis et talis est, conclusio vero est talis collectio vocum, DE QUA POSSUNT DICI QUAE DE PROPOSITIONE DICTA SUNT EADEM FERE. (I.6.1/1180c)

CONCLUSIO VERO EST ARGUMENTIS APPROBATA<sup>1</sup> PROPOSITIO (I.6.1) Quod ad superiora [vet/] hoc modo continuandum est: Dictum est superius quod quaestio alia sit simplex, alia composita. De conclusionem vero istud dicendum est, scilicet quod est propositio DE QUA EADEM DICI POSSUNT FERE QUAE DE PROPOSITIONE DICTA SUNT. Et bene dico FERE, cum ei non convenient omnes differentiae quae propositioni in toto convenient. Nam licet per has differentias propositionem dividas, ut sic dicas: Propositionum aliae sunt per se notae, aliae per aliud, non tamen per eadem conclusionis divisionem facere potes, quia ipsa non per se, sed per alia, scilicet per propositionem et assumptionem, fit tandem nota; hoc vero est quod dicit: ARGUMENTIS APPROBATA PROPOSITIO. Quasi dicat: Bene dixi fere omnia de conclusionem dicenda esse quae sunt dicta de propositione, quia conclusio est propositio argumentis, id est per arguentes animas, approbata aliis quidem propositionibus. Quaedam autem, propositio maxima videlicet cum ab eisdem animabus proferatur, non indiget \tamen/ aliis approbari propositionibus. Licet vero illa differentia, scilicet »nota esse per aliud«, quae propositionem dividit cum illa quae est »nota per se« conclusioni congruat, non tamen ei competit ut vox differentialis, immo ut accidentalis; nam si eius foret differentia, aut \eius/ constitutiva esset aut divisibilis. Patet autem praeconibus quod eius divisiva non est, nec etiam constitutiva; omnis enim constitutiva differentia dividit genus illius cuius constitutiva est, »nota« autem »per aliud« differentia non dividit conclusionis genus, nisi dicas propositionem illius genus esse, quod a pluribus abnuitur. Quo fit ut eius differentia constitutiva esse negetur.

Quaeritur autem quare conclusionem hic introducat cum nullatenus ad locum de quo huius intentio est operis attineat. Ad quod responderi potest: Quia quod locus ad probandam quaestionem adductus efficit in ea declaratur. Nam ipsa est loci effectus. Cum enim quaeritur utrum istae duae voces »homo« et »substantia« in eiusdem rei designatione sese comitentur, ita esse concessio quia »animal« secundum omnem sui significationem et »substantia« se co|17|mitantur – hoc

---

<sup>1</sup> APPROBATA] PROBATA N, sed cf. app.

[quoque] concesso concludetur<sup>1</sup>: Ergo »homo« et »substantia« sese comitantur. Manifestum est quod ille medius terminus, scilicet »animal«, quod ibi quidem locus ad illam quaestionem probandam fuit adductum, illas de quibus dubitabatur an possent coniungi in conclusione copulat voces, quae dubitanti semper disiunctae viderentur nisi id ad illarum fidem afferretur. Quoniam autem illud ad hoc, ut dictum est, adductum ipsas voces coniungit in conclusione, merito [con]eius effectus conclusio esse dicitur. Secundario quoque loco conclusio ad locum attinet per hoc quidem <quod> eiusdem est materiei cuius est quaestio; nam cum quaestio hoc modo ad locum se habet ut eius fidei causa ipse locus adducatur, et conclusio ad eundem se habebit cum eadem utriusque sit materia.

Sequitur: QUAE QUONIAM DILIGENTER SUPERIUS EXPLICATA <SUNT>, DE ARGUMENTO DEINCEPS TRACTANDUM VIDETUR. (1.6.2) Quasi dicat: Hic non est immorandum, scilicet in ostendendo species et membra atque figuras conclusionis, quia superius in tractatu propositionis illa omnia diligenter sunt exposita, eadem namque, ut dictum est, sunt species et partes propositionis et conclusionis, et quia de his non est hic tractandum propter causam praedictam, consequenter post quaestionis tracta[[n]]tum de argumento tractandum videtur.

7| Et merito post tractatam quaestionem de argumento tractandum esse censemus quia ARGUMENTO, id est anima arguens, EST RATIO DUBIAE REI, id est quaestioni, FACIENS FIDEM. (1.7.1) Quasi dicat: Ratio, id est anima rens, quae facit hanc vocem quae est »fides« competere quaestioni aliquibus argumentationibus designatur ab hoc nomine, scilicet »argumentum«.

HANC SEMPER NOTIOREM QUAESTIONE ESSE NECESSE EST (1.7.2) Quod est: HANC animam quaestioni fidem facientem SEMPER, id est propositione et assumptione, NOTIOREM QUAESTIONE NECESSE EST ESSE, id est per propositionem et assumptionem oportet illam esse notiolem quam per quaestionem; nam si illa penitus ignota fuerit, et eius propositiones ignotae forsitan erunt. Haec autem grammatica est huiusmodi: »Virtute insignior audacia«, id est insignior est ille per virtutem quam per audaciam; quem grammaticae \modum/ frequenter invenies.

Probat a causa quod anima arguens sit notior per propositionem et assumptionem, quod habes<sup>2</sup> per SEMPER supradictum, quam per quaestionem. Vel est ad haec causae redditio hoc modo: NAM SI NOTIS IGNOTA<sup>3</sup> PROBANTUR etc. Quasi dicat: Bene debes concedere quod anima arguens fiat

<sup>1</sup> concludetur] concludes P a.c.

<sup>2</sup> habes] habet P

<sup>3</sup> NOTIS IGNOTA] IGNOTA NOTIS N, sed cf. app.

notior per propositionem et assumptionem quam per quaestionem, \quia/ si concedis quod ignotae res probentur, id est explicentur, notis propositionibus et si concedis quod anima arguens probet dubiam rem, id est quaestionem, necesse est ut concedas quod ipsa anima sit notior eo, id est per id QUOD AD FIDEM QUAESTIONIS AFFERTUR, scilicet per propositionem et assumptionem, IPSA QUAESTIONE, id est quam per ipsam quaestionem. Ne pro inconvenienti habeas quod hanc particulam, scilicet »eo«, hic subaudimus quia saepe simile contingit fieri auctoritate etiam Prisciani<sup>1</sup> in huiusmodi pronomine relativo quod quando illud ponitur suum relativum tacetur, unde plura potes habere exempla quam ut aliquo indigeas.

Aliter quoque et haec legi<sup>2</sup> possunt, ut sic dicas: ARGUMENTUM EST RATIO REI DUBIAE FACIENS FIDEM. Quod est: Anima faciens propositionem et assumptionem fideles dubiae rei, id est quaestioni, dicitur argumentum. HANC fidem, id est has propositiones, NECESSE EST NOTIOREM<sup>3</sup> ESSE QUAESTIONE. Quaestio namque est quodammodo nota eo quod rem de qua agitur modo quodam notificat, sed propositiones ad eam probandam datae notiores sunt ipsa quaestione quia ipsam rem melius ipsa notificant.

Probat vero quod propositiones sunt notiores quaestione hoc modo: NAM SI NOTIS IGNOTA<sup>4</sup> PROBANTUR etc. Quasi dicat: Omne quod probat est notius quaestione (quam propositionem habes ubi dicit: SI NOTIS IGNOTA PROBANTUR); sed propositio et assumptio probant \<<...>>/<sup>5</sup> (hoc<sup>6</sup> quoque habes aequipollenter ubi dicitur: ARGUMENTUM VERO REM DUBIAM PROBAT; ARGUMENTUM hic accipe pro argumentatione, est enim aequivocum, aliquando ipsam animam, aliquando ipsas significans voces; »argumentatio« vero et \istae duae voces/ »propositio« et »assumptio« pares sunt voces); ergo propositio et assumptio sunt notiores quaestione (quam conclusionem aequipollenter habes ubi dicitur: NECESSE EST UT QUOD AD FIDEM QUAESTIONUM<sup>7</sup> AFFERTUR IPSA SIT NOTIUS QUAESTIONE). Locus a toto. Maxima propositio: »Quod convenit toti, et parti«. »Probans« enim est vox totalis propositionis et assumptionis secundum eos qui dicunt unum nomen vel unum verbum posse probare vel etiam aliquam rem se ipsam probare. Quod si negare volueris,

<sup>1</sup> cf. Prisc. *Inst.* XVII 32

<sup>2</sup> legi] lege P a.c.

<sup>3</sup> NOTIOREM] NOTIORES P a.c.

<sup>4</sup> NOTIS IGNOTA] IGNOTA NOTIS N, sed cf. app.

<sup>5</sup> *signum supra lineam est quo ad additionem marginalem margine resecta peritam referri videmur*

<sup>6</sup> hoc] hac P a.c.

<sup>7</sup> QUAESTIONUM] QUAESTIONIS N

locum hunc dices esse a pari; paria namque sunt omne probans et argumentatio secundum hunc respectum.

Si habes »vero« ut quidam libri habent post ARGUMENTUM,<sup>1</sup> ita continuabis: Quaestio de qua in proximo tractavimus dubitabilis propositio est, sed argumentum non est dubitabile aliquid, immo est FACIENS FIDEM DUBIAE REI. Si aliter legeris, superfluum esse dicetur, quia id dixerat superius. Potest tamen sine »vero« legi ut non sit superfluum; superius enim hanc ad ostensionem argumenti dedit descriptionem, hic autem eandem quidem dicit, non quod principaliter argumentum ostendat, sed nos aequivocando decipiat ut cuius habuisti iam descriptionem, eius credas hic divisionem fieri.

[17<sup>v</sup>] Probata argumentatione quam<sup>2</sup> anima arguens ad fidem quaestionis facit notiore esse ipsa quaestione, ipsam dividit animam – non significatum quidem, sed significans secus hoc quod eius significatum diversis modis ad fidem ipsi quaestioni faciendam argumentatur – hoc modo: ARGUMENTORUM VERO <OMNIUM><sup>3</sup> ALIA SUNT PROBABILIA ET NECESSARIA etc. (1.7.3) Quod vero sic continuato: Illud quod dictum est intelligendum est de argumento, quod sit ratio faciens dubiae rei fidem; hoc vero dicendum esse videtur de omni argumento, id est de omni arguente anima, quod alia est probabilis et necessaria, id est alia est hominum usus sequens et rerum naturas ita ut sunt atque aliter esse non possunt in suis argumentationibus; alia vero probabilis, sed non necessaria, id est alia est quae sequitur usum, sed non naturas rerum; alia necessaria, sed non probabilis, id est alia est sequens naturam et non usum; alia est nec probabilis nec necessaria, id est alia est quae non sequitur usum nec naturam. Quae divisio est generis in species; est enim talis: Animalium omnium alia sunt rationalia, alia irrationalia. Nam licet de rebus ab argumentis significatis hic agere videatur, quod non est, tamen non significatorum divisionem, sed significantium facit; non enim de vocibus aliter loqui potest nisi secundum hoc quod significant.

Exponit vero illius divisionis membra singulatim a primo incipiens hoc modo: PROBABLE VERO EST QUOD VIDETUR VEL OMNIBUS etc. (1.7.4) Quasi diceret: Haec vox differentialis, scilicet »probabilis«, significat illam animam quae sequitur usum qui videtur vel omnibus hominibus vel pluribus, id est quem habent omnes vel plures homines laudabilem, vel qui omnium vel plurium sapientum visui laudabilis apparet, vel quem maxime inter gentes actibus famosis noti atque propter haec principui laudant, vel qui ab unoquoque artifice probatur sequendo proprium negotium, ut ille qui MEDICO DE MEDICINA

<sup>1</sup> lectio vero in apparatu Nikitae non memoratur

<sup>2</sup> quam] quas P

<sup>3</sup> OMNIUM] N et P infra in 1.7.3/1180C



VIDETUR, GUBERNATORI DE NAVIBUS GUBERNANDIS, ET PRAETEREA, id est praeter has significationes »probabilis« aliae sunt eiusdem significationes, nam etiam illam significat »probabilis« animam quae sequitur illum usum qui videtur ei laudabilis CUM QUO SERMO CONSERITUR vel iudicanti, IN QUO USU NIHIL ATTINET VERUM FALSUMVE SIT ARGUMENTUM, id est anima propositiones secundum huiusmodi usum proferens nihil confert an veras proferat an falsas, si tantum verisimilitudinem teneant.

Ostensis quae »probabile« significat ad eiusdem excludendam aequivocationem (si enim ita id laxè acciperes secundum omnem sui significationem, iam huius generis paulo superius divisi non esset divisibilis differentia cum ei sit par; nulla enim differentia divisiva est par ei in significatione cuius divisiva differentia est), ostendit quid »necessarium« in illa divisione positum significet sic: NECESSARIUM VERO EST QUOD, UT DICITUR, ITA EST ATQUE ALITER ESSE NON POTEST. (1.7.5/1180D) Quod est: Illa anima designatur ab hac differentiali voce quae est NECESSARIUM, quae sequitur rerum naturas explicando eas propositiones ita ut sunt et aliter esse non possunt, vel illa anima dicitur necessaria quae UT DICITUR, id est ut nominatur ab hoc nomine, scilicet »necessaria«, necessarias proferens propositiones, ita est et aliter esse necessaria non potest. »Inevitabile« NECESSARIUM hic accipe.

Exposito probabili atque necessario quae significant, declarat sub exemplis quae propositiones sint propter quas prolatae anima dicatur probabilis ac necessaria vel probabilis et non necessaria vel necessaria et non probabilis vel neque probabilis neque necessaria, a probabili ac necessario hoc modo incipiens: AC<sup>1</sup> PROBABLE QUIDEM AC NECESSARIUM EST, UT HOC:<sup>2</sup> (1.7.6) Quod est dicere: Illa anima dicitur probabilis ac necessaria quae propositiones profert, ut haec est, id est quae huiusmodi profert propositiones: »SI QUID CUILIBET REI SIT ADDITUM, TOTUM MAIUS EFFICITUR«. Quae propositio sic exponenda est: Si aliqua vox numeralis alii numerali voci additur, illa cui additur cum sibi addita facta totalis fit plura significans quam aliqua alia vox totalis vel quam prius significaret, ut »unitas« si »binario« addatur hanc totalem vocem quae est »ternarius« efficiet, quae maioris est significationis quam ipse »binarius«. Similiter autem et in aliis.

Probat vero quod huiusmodi propositio sit probabilis et necessaria propter quam anima eam proferens dicitur probabilis et necessaria hoc modo: NEQUE ENIM QUISQUAM etc. Quasi dicat: Vere haec propositio [[d]] est probabilis et necessaria, quia omnes in eadem consentiunt et aliter esse non potest hoc quod ipsa significat. Vel est causae redditio, ut sic dicas: Ideo dico hanc

<sup>1</sup> AC] ET N

<sup>2</sup> UT HOC] UT EST HOC N, *sed cf. app.*

propositionem esse probabilem et necessariam quia nemo ab ea dissentit et necesse est ita sese habere ut ipsa pronuntiat.

Hoc membro exemplificato sequens exponere ac exemplificare hoc modo intendit: PROBABILIA VERO ET<sup>1</sup> NON NECESSARIA SUNT QUIBUS FACILE etc. (1.7.7) Quod est: Illae animae dicuntur probabiles et necessariae QUIBUS auditoris ANIMUS per suas propositiones FACILE ADQUIESCIT, SED tamen in illis propositionibus FIRMITATEM non tenet VERITATIS. Quae propositiones sunt tales ut haec: »SI MATER EST, DILIGIT«;<sup>2</sup> ideo namque haec propositio probabilis quia in pluribus vera esse contingit, non necessaria vero quia in Agave atque Medea fefellit.

Sequitur: NECESSARIA VERO ET<sup>3</sup> NON PROBABILIA etc. (1.7.8) Quod est: Illae animae dicuntur<sup>4</sup> necessariae et non probabiles quae tales proferunt propositiones quas ita quidem necesse est [[rem]] sese habere in significatione rerum [18<sup>1</sup>] ut ipsae dicuntur illas significare, SED HIS animabus per huiusmodi propositiones NON FACILE CONSENTIT AUDITOR. Quae propositiones sunt ut haec: »OBIECTU LUNARIS CORPORIS SOLIS EVENIRE DEFECTUM«; nam licet haec rerum sequatur naturam, non tamen est usualis, et idcirco auditor non leviter ei concedit. Quam hoc modo disponere potes: »Solis defectus evenit per lunare corpus sibi obiectum«.

NEQUE NECESSARIA VERO NEQUE PROBABILIA SUNT QUAE NEQUE IN OPINIONE HOMINUM NEQUE IN <VERITATE> CONSISTUNT (1.7.9/1181A) Quasi dicat: Illae animae dicuntur non sequi naturam rerum neque usum dum argumentantur QUAE NEQUE CONSISTUNT IN OPINIONE HOMINUM NEQUE IN VERITATE, id est quae neque argumentantur de rebus ut homines opinantur neque ut habent se res. Quae locutio similis est illi quae dicit: »Ipse erat in mentibus eorum«;<sup>5</sup> consistit enim aliquis quodammodo in alicuius mente quando concipitur ab eo vel prout aliquid sentit vel alio modo. Subdit quoque exempl[[a]]um/ de huiusmodi argumentis hoc modo: UT<sup>6</sup> HABERE CORNUA DIOGENEM QUAE NON PERDIDERIT etc.

QUAE QUIDEM NEC ARGUMENTA DICI POSSUNT. Quasi dicat: Cum talia hoc habeant argumenta quod neque in opinione hominum neque in veritate consistant, istud etiam habent quod nec argumenta dici possunt.

---

<sup>1</sup> ET] AC N

<sup>2</sup> DILIGIT] DILIGIT FILIUM N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> VERO ET] VERO SUNT AC N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> dicuntur] dicitur P *ut videtur*

<sup>5</sup> *locum non inveni*

<sup>6</sup> UT HABERE] UT HOC, HABERE N

Possunt quoque alio modo legi haec quae de argumento dicta sunt secundum hunc modum: ARGUMENTUM EST RATIO REI DUBIAE FACIENS FIDEM (I.7.1/1180c) Quod exponas ut superius est expositum, FIDEM habens pro »propositione et assumptione«.

HANC fidem etc. (I.7.2) Quod est: Has propositiones, scilicet propositionem et assumptionem, in omni probatione necesse est esse quaestione notiores. Quod [[est]] sic probat: NAM SI NOTIS IGNOTA PROBANTUR etc. Quod est dicere: Vere propositionem et assumptionem oportet esse notiores quaestione, quia si ignotae propositiones probantur per notas et anima arguens probat quaestionem per illas prius ignotas aliis notis modo factas notas, necesse est ut propositiones quae ad fidem faciendam quaestioni afferuntur sint notiores ipsa quaestione. Quasi dicat: Per hoc manifestum tibi esse debet quod propositiones oportet esse notiores quaestione, quod illas necesse est notis probari propositionibus, si ignotae fuerint, ut quaestionem probent, cum omne probans sit notius eo quod <pro>batur. Quae superior consequentia est inter effectum et causam.

ARGUMENTORUM VERO OMNIUM etc. (I.7.3) Quod sic continuabis: Propositiones debent esse notiores quaestione, ut dictum est, argumenta vero talia debent esse ut alia sint usualia et naturalia, alia usualia, sed non naturalia, alia naturalia, sed non usualia, alia nec usualia nec naturalia. Quae omnia membra et in diversis et in eadem anima accipi possunt; eadem enim anima omnibus his modis secundum diversos respectus argumentatur.

Exponit vero quid dicat esse probabile sic: PROBABILE VERO EST QUOD VIDETUR VEL OMNIBUS etc. (I.7.4) Quod est: Illa anima dicitur usualis, id est sequens usum, quae VIDETUR VEL OMNIBUS VEL PLURIBUS proponere de rebus secundum hoc quod usualiter se habent. Quam locutionem,<sup>1</sup> scilicet »anima videtur«, frequens habet usus; nam cum dicis: »Cicero intelligitur a Trebatio«, idem est ac si diceres: »Anima Ciceronis videtur Trebatio aliquid aliquomodo intellexisse«. Vel anima illa dicitur probabilis quae videtur UNICUIQUE ARTIFICI SECUNDUM PROPRIAM FACULTATEM, id est quod ab unoquoque artifice secundum propriam sui facultatem dicitur sequi usum. Facultas, id facilis utilitas, vocatur quaelibet doctrina quae docet nos melius scire quae naturaliter vel aliquomodo [vel] scire debemus. Sequitur: UT DE MEDICINA MEDICO, GUBERNATORI DE NAVIBUS GUBERNANDIS. Quasi dicat: Illud est probabile quod videtur omnibus vel quibusdam quemadmodum illud est probabile, scilicet aliqua herba quae medico videtur usualis de medicina, et ut illud dicitur probabile quod videtur gubernatori de navibus gubernandis. ET PRAETEREA QUOD EI VIDETUR<sup>2</sup> etc. Quod est: Praeter ista

<sup>1</sup> quam locutionem] quae locutio P

<sup>2</sup> EI VIDETUR] VIDETUR EI N, sed cf. app.

»probabilis« significata illud dicitur probabile QUOD EI VIDETUR CUM QUO SERMO CONSERITUR VEL EI QUI IUDICAT, IN QUO probabili, id est in qua anima usuali, NIHIL ATTINET VERUM FALSUMVE SIT quod ab arguente anima dicitur, SI ipsa anima arguens TANTUM VERISIMILITUDINEM TENEAT.<sup>1</sup>

Potes quoque illud supradictum sic legere, scilicet possibile est ut illud QUOD causativum facias hoc modo: Anima sequens usum ideo dicitur probabilis quia vel omnibus vel pluribus ita esse in re videtur quod ipsa dicit ut ab ea profertur.

NECESSARIUM VERO EST QUOD UT DICITUR ITA EST ATQUE ALITER ESSE NON POTEST. (1.7.5/1180D) Illud dicitur probabile ut expositum est, NECESSARIUM VERO EST QUOD UT DICITUR ITA EST, id est illa anima dicitur naturalis, id est sequens naturas rerum usu ammoto, quae ita est in consideratione rerum aliquarum UT DICITUR, id est sicut verbis suis ostenditur, quia multotiens aliud homo sentit de re aliqua et aliud inde dicit/.

AC<sup>2</sup> PROBABLE QUIDEM AC NECESSARIUM EST UT HOC:<sup>3</sup> »SI QUID CUILIBET REI etc.« (1.7.6) Quasi dicat: Ad quem modum haec propositio dicitur probabilis et necessaria, ita et anima usualiter et naturaliter disserens vocatur probabilis et necessaria. Cui expositioni similem dabis expositionem in sequentibus, ubi habes UT HOC, inter propositiones et animas similitudinem ostendens in vocabulis. Nam quemadmodum propositio dicitur probabilis et necessaria vel probabilis et non necessaria vel necessaria et non probabilis vel neque necessaria neque probabilis, ita et anima usual[is]iter et naturaliter vel usualiter et non naturaliter vel naturaliter et non usualiter vel neque naturaliter neque usualiter disserens ab eisdem designa[n]tur vocabulis. Hoc quoque modo sequentia expone, scilicet probabilia et non necessaria [18'] et necessaria atque probabilia et ultimum divisionis membrum, ut animam arguentem ab his designari nominibus dicas quemadmodum et propositiones quarum exempla [[po]]su/pponit.

Quod vero dicit, neque necessaria neque probabilia argumenta nec posse dici argumenta, hoc modo probat: ARGUMENTA ENIM REI DUBIAE FACIUNT FIDEM. (1.7.9/1181A) Quasi dicat: Vere argumenta non necessaria neque probabilia non sunt argumenta, quia argumenta faciunt fidem dubiae rei, sed ista non faciunt fidem rei dubiae. Quam etiam assumptionem habes ubi dicitur: EX HIS AUTEM NULLA FIDES EST (1.7.10) Conclude extra. Locus a definitione. Maxima propositio: »Unde aufertur definitio, et definitum«.

DICI TAMEN POTEST etc. (1.7.11) Quasi dicat: Licet necessaria et non probabilia dixerim esse argumenta, tamen iure potest dici illa non esse

<sup>1</sup> TENEAT] TENET N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> AC] ET N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> UT HOC] UT EST HOC N, *sed cf. app.*

argumenta, quia licet sint necessaria, minime \tamen/ approbantur ab audientibus. Et vere illa non sunt argumenta; omne enim argumentum cogit animum auditoris per propositionem et assumptionem ad conclusionem, sed necessaria et non probabilia argumenta non cogunt animum auditoris per propositionem et assumptionem ad conclusionem; itaque non sunt argumenta. Huius syllogismi propositionem primam hypothetice dispositam habes ubi dicitur: NAM SI REI DUBIAE etc., conclusionem vero ubi dicit: ITAQUE EX HUIUSMODI RATIONE<sup>1</sup> EVENIT etc., assumptionem autem extra accipe. Locus qui superior. Maxima propositio: »A quo removetur definitio, et definitum«.

Probat quoque quod illa non cogunt animum auditoris ad conclusionem. Nam si illa non probantur ab audiente, quod est quia tantum necessaria sunt ac non probabilia, nec illud quod ab eis conficitur, scilicet conclusio, ab illo probabitur. Inter causam et effectum. Illa enim quae ab audiente non probantur sunt istius effectus causa quod conclusio quae ab eis conficitur non probatur. Hanc quidem consequentiam plane habes ubi dicitur: QUOD SI QVAE TANTUM NECESSARIA SUNT etc. (I.7.12/1181B) Iudicem et quem superius vocavit auditorem secundum hanc sententiam pro eodem habe. Illius vero consequentiae antecedens assume ac concludere consequens, quod semper in aliis conditionalibus fit propositionibus. Locus a causa. Maxima propositio: »Unde aufertur causa, et effectus«.

Potest etiam et aliter praemissa quaestio probari, ut si dicas: Vere huiusmodi argumenta non sunt argumenta. Quod est idem ac si diceret: Non faciunt fidem rei dubiae, quia si facerent fidem dubiae rei, cogerent auditoris animum PER EA QUIBUS IPSE ADQUIESCIT, scilicet per propositionem et assumptionem, ad conclusionem; hoc est quod dicit: NAM SI REI DUBIAE etc. (I.7.11) Inter causam et effectum. Quas propositiones si non probat ille qui iudicat, id est auditor, quia tantum necessariae sunt et non probabiles, necesse est ut ne<c> conclusionem quae eis conficitur probet; quod aequipollenter habes ubi dicit: QUOD SI QVAE TANTUM NECESSARIA AC NON PROBabilia (I.7.12/1181B) Inter causam et effectum. Nam \ab/ auditor\e/ propositiones non probatae per quas conclusio confici deberet sunt causa quare ipsa conclusio non probatur. »A quo removetur causa, et effectus«.

ITAQUE EX HUIUSMODI RATIONE<sup>2</sup> etc. Quod est: Et ita evenit, id est ex huiusmodi consequentiis patet, quod illa non sunt argumenta quae tantum sunt necessaria ac non probabilia.

Probato secundum quosdam quod haec non sint argumenta, eorundem sententiam infringit hoc modo: SED NON ITA EST (I.7.13) Id est non est verum

<sup>1</sup> RATIONE] RATIOCINATIONE N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> RATIONE] RATIOCINATIONE N, *sed cf. app.*

illa non esse argumenta, et »probabile« non est ita interpretandum ut ipsi interpretantur; et hoc est quod dicit: ATQUE HAEC INTERPRETATIO etc. Quasi dicat: Haec expositio »probabilis« quam ipsi faciunt non est recta, sed minus continens, quae dicit illud tantum esse probabile quod cogit animum auditoris ad conclusionem per propositionem et assumptionem »quibus ipse adquiescit«,<sup>1</sup> id est per non probatas aliis propositionibus. Hanc enim solam partem ponentes aliam praetermittunt quae est: Per eas propositiones quibus animus auditoris non adquiescit nisi probentur cogendus est animus auditoris ad conclusionem. Quam utramque partem ostendit ubi dicit: EA ENIM SUNT etc.<sup>2</sup> Quasi dicat: Illi tales qui huiusmodi expositionem »probabilis« faciunt non recte intelligunt »probabile«, id est non bene sentiunt quid »probabile« significet, quia ipsae animae dicuntur probabiles QUIBUS ADIUNGITUR auditoris CONSENSUS SPONTE ATQUE ULTRO, id est cum coactione atque sine coactione propositionum non probatarum sive probatarum, SCILICET quae animae MOX ut hoc modo auditae sunt APPROBENTUR, id est ab ipso auditore credantur.

QUAE VERO NECESSARIA SUNT AC NON PROBABILIA etc. (1.7.14) Quod est: Sed illae animae quae sunt naturales et non usuales perfecte monstrantur ab argumentis, id est ab animabus \dialecticis sive rhetoricis/, antea quam dicantur argumenta ALIIS PROBABILIBUS AC NECESSARIIS propositionibus COGNITAQUE ET CREDITA, id est ipsae animae in cohaerentia propositionum quas faciunt cognitae et per hoc ab auditore creditae posse vocari argumenta, AD ALTERIUS REI FIDEM TRA[RA]|19|HUNTUR, id est ad praedicatum quaestionis de quo dubitabatur an cohaereret subiecto fidele faciendum eidem subiecto trahuntur.

Ad hoc vero demonstrandum quod illa aliquibus argumentis ostensa vocentur argumenta, quaedam inducit similia hoc modo: UT SUNT SPECULATIONES OMNES etc. SPECULATIONES hic accipe »regulas geometricas«. Quasi dicat: Quemadmodum vides quod in geometria sunt quaedam quae non creduntur ab auditore nisi aliis approbata prius fuerint, ita quoque videre potes in argumentis necessariis et non probabilibus quod prius oportet ea aliis propositionibus demonstrari ut argumenta possint dici. Quod hoc Graecum vocabulum, scilicet THEOREMATA, posuit huic nomini quod est SPECULATIONES allusit.

NAM QUAE ILLIC PROPONUNTUR etc. Bene dixi haec argumenta, antea quam probentur, non approbata geometriae speculationibus similia esse in hoc quod probata tantum laudantur, quia QUAE ILLIC, id est in geometria, PROPONUNTUR, donec probata fuerint, a discente animo non probantur. Nam tunc tantum AD ARGUMENTA ALIARUM SPECULATIONUM, id est ad animas

<sup>1</sup> 1.7.11/1181A

<sup>2</sup> EA ENIM SUNT] EA SUNT ENIM N, sed cf. app.

arguentes explicandas, DUCUNTUR, †\quae per illas probatas alias regulas alias de quibus dubitatur probant speculationes/† cum SCITA ET COGNITA, id est ab auditore intellecta, atque inter \se cohaerentia (possent namque sciri ut inter se non cohaerent)/ ab argumentis per alias propositiones fuerint demonstrata; et hoc est quod dicit: SED QUONIAM DEMONSTRANTUR etc.

ITA QUAE PROBABILIA NON SUNT etc. (1.7.15/1181C)<sup>1</sup> Hoc continuare potes vel ad similitudinem hic improximo datam vel ad illud quod dixit, scilicet huiusmodi argumenta aliis propositionibus probabilibus antea demonstrari quam sint argumenta. Ac si dicat: Ad quem modum illae propositiones vel regulae non creduntur nisi aliis fuerint probatae propositionibus, ita QUAE PROBABILIA <NON> SUNT, SED SUNT NECESSARIA NON POSSUNT ESSE ARGUMENTA illis quibus non sunt perfecte monstrata AD ALIUD PROBANDUM.<sup>2</sup>

HI AUTEM QUI PRIORIBUS etc. Quod est: Istis QUIBUS NONDUM SUNT DEMONSTRATA illa non sunt argumenta, sed hi qui FIDEM CEPERUNT earum rerum QUIBUS per priores propositiones NON ADQUIESCEBANT, ipsis propositionibus per alias approbatis propositiones POSSUNT EA VOCARE AD argumenta, id est illae animae quae alia argumentatione probabili illas tandem probant propositiones quas non prius probabant possunt per eas alias dubitantes arguere animas./

SED QUIA QUATTUOR etc. (1.7.16) Duo membra divisionis argumenti, videlicet necessaria et non probabilia et neque necessaria neque probabilia, abdicavi superius posse dici argumenta, sed tamen dicendum est quae facultas quibus animabus arguentibus sibi propriis approbaverit uti, id est quae arguentes animae suas doctrinas inter se discretas sibi admittant, QUIA OMNE ARTIFICIUM DISSERENDI CONTINETUR QUATTUOR FACULTATIBUS. Quasi dicat: Ideo dicendum est quae argumenta admittant sibi suas facultates, quia quattuor tantum facultates comprehendunt omnem locum et omnem syllogismum. Vel ad illud potest esse causae redditio quod dixit: QUAE facultas QUIBUS UTI NOVERIT ARGUMENTIS. Per »quattuor facultates« habes idem quod per »dialecticam, rhetoricam, philosophicam, sophisticam doctrinam«, per OMNE vero ARTIFICIUM omnem locum et omnes syllogismos, harum videlicet quattuor facultatum significata. Differt autem ars et artifex et artificium; nam ipsae doctrinae quibus aliqua docemur dicuntur ars, artifex vero qui per eas aliquid agit, artificium vero omnis argumentatio. Quod autem dicit omne artificium quattuor facultatibus contineri ita accipe ut significata in suis significantibus continentur; omne enim significans suum continet significatum;

<sup>1</sup> ITA QUAE PROBABILIA NON SUNT] ITAQUE QUAE PROBABILIA PER SE NON SUNT N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> AD ALIUD PROBANDUM] *exempli gratia scripsi* : a.a.p. P : AD ALIUD ALIQUID APPROBANDUM N

ut res significata ab hoc nomine »Lungomarius«<sup>1</sup> continetur infra [[.]]idem nomen, sic et in aliis.

Subdit quoque causa quare dicat dicendum esse quae facultas sua [19'] admittit argumenta hoc modo: UT CUI POTISSIMUM etc. Quod est: Ideo dicendum videtur quae facultas quibus argumentis approbaverit uti, UT APPAREAT CUI DISCIPLINAE illarum quattuor, sive dialecticae sive rhetoricae vel alicui aliarum, PARETUR UBERTAS illorum LOCORUM ATQUE ARGUMENTORUM de quibus in hoc tractatu ago, POTISSIMUM, id est secundum propriam uniuscuiusque materiam.

QUATTUOR IGITUR FACULTATIBUS (1.7.17) Quia omne artificium disserendi, id est omnis argumentatio, continetur in quattuor facultatibus, IGITUR OMNIS RATIO DISSERENDI, id est omnia praecepta locorum ac syllogismorum, SUBIECTA EST QUATTUOR FACULTATIBUS. Ab effectu in causam vel a paribus sese comitantibus; argumentatio namque est effectus doctrinae disserendi, sese vero comitantur loci et syllogismi et ratio disserendi, id est eorundem praecepta, propter quod paria esse dicuntur. Vel est a parte in totum, ut sic dicas: Quia ubertas meorum locorum atque argumentorum paratur, id est par esse ostenditur, cuidam disciplinae, id est in aliqua disciplina esse demonstratur ut una ex eis quae in illa sunt disciplina, ergo omnis ratio disserendi, id est omnes locorum doctrinae \aliae/ et omnes figurae atque modi \alii/ syllogismorum sunt subiecta cuidam disciplinae. Laxe accipe »cuidam disciplinae« et sit tibi pro »cuidam facultatum«. Quod dicit UBERTAS LOCORUM pro eodem habe ac si diceret »regulae de locis datae habundanter«.

EARUMQUE VELUT OPIFICIBUS DISSERENDI OMNIS RATIO SUBIECTA EST Quasi dicat: Quia quattuor facultates propria sibi admittunt argumenta; quod habes ubi dicitur: »quae quibus uti noverit argumentis«;<sup>2</sup> hoc autem sic converte: »Quia argumenta proprias argumentationes per facultates ipsarum argumentationum sibi admittunt, ergo omnem rationem disserendi, id est omnes facultates, id est omnia praecepta locorum ac syllogismorum, sibi admittunt«. Ab effectu in causam. Ratio enim disserendi est causa argumentationis.

QUORUM QUIDEM DIALECTICUS ATQUE ORATOR IN COMMUNI MATERIA, id est in usualibus, sive naturalibus sive non, probationibus arguendarum VERSANTUR animarum. (1.7.18/1181D)

UTERQUE ENIM etc. Vere dialecticus et orator frequenter vertuntur in usualibus argumentationibus, nam UTERQUE SEQUITUR ARGUMENTA, Aristotelicam videlicet animam atque Platoniam, in consideratione rerum ([s]argumenta,

<sup>1</sup> cf. *Excerpta Pommersfeldensia I: Glosulae in Porphyrium*, ed. Y. IWAKUMA 1992 : 106; ubi, ut puto, ut »Lungomarius« »Socrates« legendum est.

<sup>2</sup> 1.7.16/1181C



dico, probabilia, id est usualiter de rebus consideratione, sive ille usus sit naturalis sive non); nam si in communi consideratione rerum ea sequuntur, necesse est ut in argumentationibus sequendo illorum \Aristotelis et Platonis/ considerationem factis illa sequantur. Quae probatio est ab effectu. Aliorum enim argumentorum de rebus usualiter considerationem [[*fere II litterae erasae*]] sunt causa usualis sequentium dialecticorum atque oratorum argumentationis; nam illorum tantum in rebus considerationem sequentes argumentantur.

HIS IGITUR DUAE ILLAE<sup>1</sup> SPECIES etc. Quia dialecticus atque orator sequuntur alia argumenta, scilicet Aristotelem atque alios antiquos, in usuali consideratione rerum, ergo eis famulantur istae duae speciales voces usualis argumenti quae illis famulatae fuerunt propter consimilem considerationem, QUAE SUNT PROBABILE ET<sup>2</sup> NECESSARIUM, PROBABILE ET<sup>3</sup> NON NECESSARIUM. Ab effectu. Ipsa namque communis consideratio ipsorum priorum considerationi consimilis de rebus usualis habita est causa cur ista duo specialia vocabula dialectico atque oratori convenient, quae illis prioribus propter eandem congruerunt causam.

PHILOSOPHUS VERO etc. (I.7.19/1182A) Dialecticus et orator tractant usualiter, sive ille/ usus sit naturalis sive non, sed philosophus pertractat de solis naturalibus tantum, ATQUE IDEO, quia de sola veritate tractare intendit, ergo nihil fert retro [sive] |20'| quantum ad ipsum [[an]] sive ipsa veritas sit usualis sive non. Quia vero tam in consideratione quam in argumentatione solius rei necessariae philosophus versatur, ideo istae duae speciales voces quae sunt »probabile ac necessarium« »necessarium et non probabile« ei competunt; et hoc est quod dicit: HIC QUOQUE HIS DUABUS etc. QUOQUE \*\*\*<sup>4</sup>

PATET IGITUR etc. Quoniam orator et dialecticus solo probabili sive necessario sive non, philosophus vero solo necessario sive probabili sive non utuntur, ergo dissident in propria consideratione. A partibus †differre†, vel a causa.

TOPICORUM VERO etc. (I.7.21) Argumenti quattuor species esse diximus: Probabile et necessarium, probabile et non necessarium, necessarium et non probabile, neque probabile neque necessarium, sed haec nostra topicalia praecepta intendunt perfecte monstrare COPIAM, id est argumentationem, VERISIMILIUM, id est probabile, tantum ARGUMENTORUM. Vel ita: Philosophi intentio est de necessariis tractare argumentis, TOPICORUM VERO \INTENTIO EST, id est in his Topicis mea intentio <est>, de verisimilibus tractare argumentis./ Vere topica, id est localia praecepta, tendunt ad

---

<sup>1</sup> DUAE ILLAE] ILLAE DUAE N, sed cf. app.

<sup>2</sup> ET] AC N

<sup>3</sup> ET] AC N

<sup>4</sup> spatium vacuum III fere vocum capax reliquit P

demonstrationem argumentationis argumentorum verisimilium, nam tendunt ut demonstrent habundantem materiam ipsius argumentationis. A causa. Et hoc est quod dicit: DESIGNATIS ENIM LOCIS etc. (I.7.22) Quasi dicat: Per hoc manifestum tibi fieri potest quod topica demonstrent [[c]]argumentationem probabilium argumentorum, quod locis per ea declaratis patefaciunt materiam disserendi, id est eiusdem argumentationis. »Materiam« hic habeto res ipsas quae argumentationis sunt causa, vel quaestionem ac maximam propositionem quae nihilominus constant eiusdem esse materies. Si autem ita legeris, ut eas materie<m> argumentationis esse dicas, HABUNDANS ad quaestionem, COPIOSA vero ad maximam referes propositionem, atque a causa locum similiter dabis. Quaestionem namque materiam argumentationis ideo esse dicimus, quia omnis argumentatio partim fit ex quibusdam quaestionis terminis, maximam vero propositionem idcirco quia ipsa argumentatio in ea continetur ut pars in suo toto. Nam cum hanc maximam facis propositionem: »Quod praedicatur de genere universaliter, et de specie«, cum per genus ibi omnia generalia nomina habeas atque per speciem omnia specialia, habebis quoque necessario et illud generale ac speciale nomen ipsius argumentationis cui haec maxima datur propositio. Et hoc modo illam dicimus materiem, id est causam, esse argumentationis. Quaestio vero ideo dicitur habundans materia, quia \*\*\*<sup>1</sup>

SED QUONIAM, UT SUPRA DICTUM EST etc. (I.7.23/1182B) Quod est: Topicorum diximus esse intentionem ostendere copiam probabilium argumentorum, sed licet ita determinassemus, tamen evenit ut quando sumuntur loci probabilium argumentorum aliqua argumentatione, NECESSARIORUM QUOQUE DOCEANTUR argumentorum loci. Causam vero reddit quare illud eveniat hoc modo: QUONIAM PROBABILIMUM ARGUMENTORUM ALIA SUNT NECESSARIA, ALIA NON NECESSARIA. Quod est: In hoc discernere potes quod cum ostenduntur loci omnium probabilium argumentorum, demonstrantur etiam et necessariorum, quod probabile hoc modo dividitur: aliud necessarium, aliud non.

QUO FIT etc. (I.7.24) Quia topica tractant de argumentatione probabilium tantum [[loc]] argumentorum, cum dialectici et oratores tantum probabilia sive necessaria sive non necessaria, philosophi vero necessaria sive probabilia sive non probabilia sequantur, ergo haec disciplina localis principaliter DIALECTICIS AC ORATORIBUS, SECUNDO VERO LOCO paratur PHILOSOPHIS, quia eis probabile tantum competit gratia necessarii.

NAM IN QUO etc. Vere haec doctrina primo loco dialecticis ac oratoribus, secundo vero loco servit philosophis, nam hoc modo servit eis, scilicet IN QUO OMNIA PROBABILIA CONQUIRUNTUR DIALECTICI IUVANTUR ATQUE

---

<sup>1</sup> spatium vacuum l lineae capax reliquit P

ORATORES, IN QUIBUS VERO PROBABILIA AC NECESSARIA DOCENTUR, PHILOSOPHICAE DEMONSTRATIONI MINISTRATUR UBERTAS. A toto vel a genere. Vel est sola ostensio qualiter dialecticis ac philosophis illa facultas conveniat.

NON MODO IGITUR etc. Quia omnia probabilia sive necessaria sive non necessaria dialectico atque oratori competunt, philosopho vero probabilia sola cum necessario, IGITUR non admodum, id est non secundum unam tantum partem, DIALECTICUS ATQUE ORATOR, et non solum isti, sed ETIAM DEMONSTRATOR AC VERA ARGUMENTATIONIS EFFECTOR HABET QUOD ASSUMERE POSSIT EX PROPOSITIS LOCIS,<sup>1</sup> scilicet probabilibus. Locum vero unde inferat subdit hoc modo: CUM INTER ARGUMENTORUM etc. PRINCIPIA, id est loca necessariorum argumentorum, in his Topicis MIXTA esse ideo dicit, quia non intendit ostendere nisi sola probabilia. Illud enim dicitur mixtum esse alicubi, quod ex habundanti videtur ibi esse. Principia vero loca ideo dicuntur

\*\*\*2

QUOCIRCA TOPICORUM etc. (I.7.26/1182c) Quoniam demonstratum est quod dialectici atque oratores in his nostris iuvantur Topicis, QUOCIRCA UTILITAS TOPICORUM PATEFACTA EST. Quoniam vero ostendimus quae membra argumenti hic comprehendantur et quae hinc seiuncta sint, scilicet necessarium et non probabile<sup>3</sup> et neque probabile neque necessarium, ergo INTENTIO TOPICORUM PATEFACTA EST. A causa est utraque [[vel a repugnanti]] vel a contrariis immediatis \est ultima/. Ab immediatis quidem, ut si dicas: Aut est intentio topicorum tractare de probabili et necessario et probabili et non necessario argumentatione/ tantum, aut de aliis cum istis, scilicet necessario et non probabili<sup>4</sup> et neque probabili neque necessario, aut de illis aliis tantum; sed de aliis neque per se neque cum ipsis superioribus topicorum est intentio; ergo de illis est tantum intentio topicorum.

[20<sup>v</sup>] Notat(?) igitur(?) quoque locum unde intulit hoc modo: HIS ENIM DICENDI FACULTAS etc.<sup>5</sup> Quasi dicat: Vere UTILITAS TOPICORUM PATEFACTA EST, nam, \ut/ ostensum est, [[quod]] FACULTAS DICENDI per topica AUGE[A]TUR ET INVESTIGATIO VERITATIS, ubi dictum est quod dialectici atque oratores et philosophi supradictis iuvantur.

<sup>1</sup> ASSUMERE POSSIT EX PROPOSITIS LOCIS] EX POSITIS LOCIS SIBI POSSIT ASSUMERE N, sed cf. app.

<sup>2</sup> spatium vacuum vi fere vocum capax reliquit P

<sup>3</sup> necessarium et non probabile] probabile et non necessarium P

<sup>4</sup> necessario et non probabili] probabili et non necessario P

<sup>5</sup> HIS ENIM DICENDI FACULTAS] HIS ENIM ET DICENDI FACULTAS N

NAM QUOD DIALECTICOS etc. Ostensio est sola quod facultas dicendi, id est doctrina argumentandi, vel \*\*\*<sup>1</sup> augeatur per topica. Quod est: Vere per topica augeatur facultas dicendi, nam in eo<sup>2</sup> QUOD AGNITIO, id est regulae, LOCORUM IUUVAT DIALECTICOS ATQUE ORATORES, PRAESTAT ipsa agnitio COPIAM, id est significata, ORATIONI, id est argumentationi, PER INVENTIONEM, id est per loca inventa. Quasi dicat: Per hoc tibi pateat quod facultas dicendi augeatur per topica, quod agnitio locorum, id est topica per quae agnoscuntur loca, praestat significata ipsi argumentationi, scilicet ipsas res quae significata declarant, per illa loca inventa. Quod est: Vere facultas dicendi augeatur his, nam argumentatio his augeatur; nam cum significata argumentationis ostenduntur, ipsa quoque argumentatio quodammodo ostenditur.

QUOD VERO etc. Agnitio locorum praestat copiam orationi. Illud vero quod parat praecepta locorum animarum necessario arguentium, scilicet probabile, ILLUSTRAT vias VERITATIS QUODAMMODO, id est ipsa loca necessaria per quae fit vera argumentatio declarat; nam cum topica de omni, ut dictum est, probabili tractare intendat et cum dividatur in necessarium et in eius contrarium, bene dictum est quod probabile parat doctrinam necessariorum. QUODAMMODO ideo posuit quod illud probabile non ostendit vias totius veritatis, sed illius tantum probabilis et necessariae, necessariam scilicet et non probabilem relinquens.

MAGNUM ENIM POLLICETUR etc. (1.7.27)<sup>3</sup> Considerationem locorum hic accipe ipsorum regulas; VIAS vero INVENIENDI res ipsas quae quasi viae locorum esse videntur, ideo namque »animal« das locum quia quibusdam creaturis id congruere vides; per INVENIENDI vero ipsa loca quae dicuntur inventio. Bene dicit quod CONSIDERATIO LOCORUM ostendat INVENIENDI VIAS quia ipsis locis illa consideratione repperitis ipsae viae, scilicet illorum significata, locorum patent.

QUOD QUIDEM HI etc. Per id quod dicit EXPERTES illis qui<sup>4</sup> topica rentur non intelligere, QUANTUM HAC CONSIDERATIONE, id est his regulis, QUAE RATUR, hoc suum opus commendat, et etiam per istud sequens: QUAE IN ARTEM REDIGIT VIM POTESTATEMQUE NATURAE. Quod est: Vis naturae est quod tu ab aliquo cogaris ut concedas quod prius negabas, potestas vero eiusdem est quod aliquem cogere potes ut quod negabat concedat. Quae utraque redigitur per haec praecepta locorum IN ARTEM, id est in modos et figuras; nam cum naturaliter insitum sit tibi ut cogas tuum adversarium vel ab eo cogaris ad veri

<sup>1</sup> spatium vacuum VI fere vocum capax reliquit P

<sup>2</sup> in eo] P p.c. ut videtur : illu vel sim. P a.c.

<sup>3</sup> MAGNUM ENIM POLLICETUR] MAGNUM ENIM ALIQUID LOCORUM CONSIDERATIO POLLICETUR N

<sup>4</sup> illis qui] illorum quae P

concessionem, illud levius fieri potest per modos ac figuras quae dicuntur ars et quae hac topicali consideratione habita citius percipiuntur.

SED DE HIS HACTENUS. (I.7.28/1182D) Necessarium et non probabile ac neque probabile neque necessarium dixi superius seiuncta esse ab hoc opere proposito, sed tamen de his tenus hac ratione dictum est, ut ostenderem quae facultas suis argumentis approbet uti. Deinceps autem, cum loca argumentis congruere ostendam, de reliquis duobis, probabili videlicet et necessario atque probabili et non necessario, explicabo; et hoc est quod dicit: NUNC DE RELIQUIS EXPLICEMUS.

## LIBER SECUNDUS

1| OMNIA QUIDEM QUAE SUPERIORIS SERIE VOLUMINIS EXPEDITA SUNT etc. (II.1.1/1181D) Quidam volunt haec esse praemissae partis huius operis commendationem, quae quibusdam indoctis quodammodo vacillare videbatur quia quaedam quasi extranea \suae mat<e>riei/ secundum eos in ea praeposuit; quidam vero sequentis voluminis prologum esse dicunt, sed hoc illos nocere putatur quod nihil eorum quae sequuntur in his notatum esse ostenditur, quod in omni prologo contingit fieri. Qui tamen in hoc aliquantulum se defendunt quod quicquid de superioribus in his dicitur<sup>1</sup> totum ad sequens attinet negotium. Nos autem utrisque faventes ea breviter quia facilia exponere temptemus.

OMNIA QUIDEM etc. Definitiones atque divisiones tam propositionis quam ceterorum quae in superiori volumine seriatim expedivimus non ERUDITIS videntur esse supervacua in hoc opere ET QUASI DEPENDENTIA. »Dependens« dicitur illud quod cum sit alicubi nullatenus debere ibi esse iudicatur. Ideo autem dicit illis videri ea esse QUODAMMODO superflua quia licet ea bene definivisset ac divisisset, quod in suo tractatu conveniens esset, nihil tamen ad hoc opus eis pertingere videntur. Subiungit vero causam quare eis illa SUPERVACANEA esse VIDEANTUR hoc modo: NAM CUM DE DIFFERENTIIS etc. (II.1.2)<sup>2</sup> »Gradus doctrinae« hic nuncupat propositionem et assumptionem, quaestionem quoque atque conclusionem, per quae fit [21<sup>1</sup>] ad locum ascensus; FINEM OPERIS habet ipsa loca circa [ad] \quae/ totus iste versatur tractatus.

MIHI AUTEM VEL, id est valde, NECESSARIUM VIDETUR; HI ETIAM etc. (II.1.3/1183A) Quod dicit CONTEXTIONEM OPERIS idem habe ac si diceret »opus contextum«; MENTE AC RATIONE, id est memoria et discretione.

<sup>1</sup> dicitur] dicuntur P

<sup>2</sup> DE DIFFERENTIIS etc.] DE TOPICIS DIFFERENTIIS N, sed. cf. app.

ATQUE HOC<sup>1</sup> HACTENUS. (II.1.4) Ac si dicat: Mihi videtur esse necessarium quod ipsi iudicant superfluum, et tenus hac ratione, id est propter hanc rationem, illud praemisi.

SED QUONIAM DE HIS etc. Quod est: Haec quae dicta sunt de praemissis eis superflua esse videntur, scilicet DE PROPOSITIONE et QUAESTIONE ac CONCLUSIONE et etiam de ARGUMENTO,<sup>2</sup> sed licet eis ita esse videatur, tamen DE ARGUMENTATIONE consequenter TRACTEMUS post argumentum.

Causam vero reddit quare de argumentatione tractet hoc modo: QUONIAM DE HIS QVAE ANTEA etc. Quasi dicat: Quia propositum meum fuit de propositione, quaestione, conclusione, argumento, argumentatione tractare, cum de aliis omnibus praeter argumentationem sit tractatum, ergo sequens propositum meum consequenter post argumentum de argumentatione tractare debeo.

2| Inde causam quoque reddit quare consequenter post argumentum tractet de argumentatione hoc modo: ARGUMENTATIO EST PER ORATIONEM ARGUMENTI EXPLICATIO. (II.2.1) Quasi dicat: Idcirco de argumentatione post argumenti tractatum consequenter tracto quia ad argumentum hoc modo se habet quod eius sit explicatio. Quam definitionem sic exponas: Propositio et assumptio quae explicant arguentem animam PER ORATIONEM, id est propter quaestionem, recipiunt hoc nomen quod est ARGUMENTATIO; vel ita: Haec vox differentialis quae est EXPLICATIO cum hac determinatione, scilicet ARGUMENTI, EST ARGUMENTATIO, id est hanc vocem, »argumentatio\nem/« videlicet, comitatur EXPLICATIO in eiusdem rei designatione. Hoc autem habet argumentatio PER genus suum, scilicet ORATIONEM. Omnis enim species habens differentias habet eas a suo genere, nam illas habent species in sui definitione quas genus habet in sui divisione; nam quando ad interrogationem »Quid est homo?« »Animal rationale« respondetur vel »Rationale per animal«, patet quod ipsius animalis differentia divisibilis hominem constituat. <<Quonia>>m vero ab animali homo habet rationale, competens igitur potest responsio huiusmodi dari cum quaeritur »Quid est homo?«: »Rationale per animal«. Ergo et ibi haec competenter dabitur si quaeratur »Quid est argumentatio?«: »EXPLICATIO ARGUMENTI PER ORATIONEM«.

Qua definita eam hoc modo dividere intendit: HUIUS AUTEM SPECIES DUAE SUNT (II.2.2) Quod autem sic continuato: Argumenti, ut dictum est, sunt quattuor species, sed argumentationis non sunt nisi duae. Si autem dixeris et hanc quattuor habere species, enthymema videlicet atque exemplum cum his duabus, non tamen dices illas esse aequales, quia iste quas praemittit sunt

<sup>1</sup> HOC] HAEC N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> ARGUMENTO] ARGUMENTATIONE P

principales, ut in sequentibus manifestabitur; comprehendunt enim in se alias duas.

Syllogismum vero in divisione primo loco positum ante alias argumentationis species taliter definit: SYLLOGISMUS EST ORATIO etc. (II.2.3) Quod est: Haec specialis vox, scilicet SYLLOGISMUS, habet essentiam istius alterius vocis quae est ORATIO per has differentias constricta: IN QUA POSITIS QUIBUSDAM etc. Has voces differentiales quae iunctae cum ORATIO idem significant quod SYLLOGISMUS in definitione syllogismi iure posuit cum in cuiuslibet speciei definitione posito genere differentiae sequantur. Nota quod haec descriptio eos impugnet qui in suis quasi syllogismis concessa concludunt. Dicit enim quod in huiusmodi oratione ALIUD QUIDDAM NECESSE EST EVENIRE QUAM SINT<sup>1</sup> IPSA QUAE SUNT ibi CONCESSA. Si ergo in huiusmodi syllogismo: »Si animal est, animal est; sed animal est; animal igitur est« nihil aliud praeter concessa evenit, a syllogismi ratione dimovebitur. Per hoc quod dicit: IN QUA POSITIS QUIBUSDAM ET CONCESSIS has voces, scilicet »propositionem« et »assumptionem«, accipiendas esse puta, nam hae in hac voce quae est ORATIO sunt positae ut species in suo genere. Per id vero quod dicitur, scilicet ALIUD QUIDDAM PER EA IPSA QUAE CONCESSA SUNT EVENIRE NECESSE EST QUAM SINT<sup>2</sup> CONCESSA, hanc vocem, »conclusionem« videlicet, accipe. In quibus notandum est quod istae omnes differentiae idem significant quod »propositio« »assumptio« »conclusio«.

HUIUS DEFINITIONIS RATIONEM etc. (II.2.4) Quod est: Illud quod haec definitio retur, id est significat, et a quibus differat per singula<sup>3</sup> plenarie continent secundi sermones entes earum rerum, scilicet locorum, propter quos scripto mandavimus INSTITUTIONEM, id est modos et figuras, IN CATEGORICOS SYLLOGISMOS, [21<sup>v</sup>] id est ad hoc ut ostenderemus quomodo categorica argumentatio fieri debeat. Quamvis autem dicat quod propter locos institutionem in categoricos fecerit syllogismos, non tamen intelligas locos omni modo esse diversos ab ipsis syllogismis cum quiddam sit ex illis. Bene vero dicit quod propter locos scripsit institutionem in syllogismos cum \*\*\*\*<sup>4</sup>

Potest quoque et ille versiculus, scilicet HUIUS DEFINITIONIS RATIONEM (II.2.4), hoc modo legi: RATIONEM HUIUS DEFINITIONIS CONTINET LIBER SECUNDUS EORUM, id est sequens ea, IN QUIBUS pontem fecimus IN

<sup>1</sup> SINT] SUNT N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> SINT] SUNT N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> id est...singula] *secundario inseruit P in spatio prius vacuo relicto*

<sup>4</sup> *spatium vacuum I-II linearum capax reliquit P*

CATEGORICOS SYLLOGISMOS. Quae enim in illo libro cuius principium est »Multa Grai veteres«<sup>1</sup> explicuit quasi pons in syllogismos<sup>2</sup> categoricos fuerunt.

SED PROPTER INTELLECTUS FACILITATEM etc. (II.2.5/1183B) Quod est: Licet in illo libro rationem huius definitionis plene possit repperiri, propter hoc ut sit hic intellectus facilior eandem tamen rationem exemplo concludamus breviter.

SIT <ENIM> SYLLOGISMUS HIC (et bene dico SIT, nam bene potest esse): »OMNIS HOMO ANIMAL EST etc.« TOTUM IGITUR HOC ORATIO EST (II.2.6) Quasi dicat: Quia his omnibus propositionibus competit syllogismus, ergo et istae aliae voces, scilicet ORATIO IN QUA POSITIS QUIBUSDAM etc., eis congruent; nam cuicumque convenit definitum, eidem definitionem convenire necesse est.

PER PROPOSITIONES ENIM etc. Probat quod per ea quae concessa sunt efficiatur aliquid. Hoc autem modo quaestionem facias: »Utrum ex his efficiatur aliquid a concessis diversum?«,<sup>3</sup> quam quaestionem propter litterae dispositionem oportet taliter converti: »Utrum hae efficiant aliquid?«, id est »Utrum istae voces, scilicet »efficiant aliquid«, comitentur hanc vocem quae est »hae« in designatione earundem rerum?»; »Propositiones efficiunt aliquid« (has voces accipe »propositiones« ac »efficiunt aliquid«, quas sic exponas: »propositiones« et »efficiunt aliquid« comitantur se in significatione), quam propositionem habes ubi dicitur: PER PROPOSITIONES ENIM. »Sed hae sunt propositiones«, id est »sed »hae« et »propositiones« comitantur se in significatione«, hanc quoque assumptionem habes ubi dicitur: SUNT AUTEM PROPOSITIONES. Illa etiam subdit significata in quorum designatione »propositiones« et »efficiunt aliquid« se comitantur hoc modo: »OMNIS HOMO ANIMAL EST« ET »OMNE ANIMAL SUBSTANTIA EST«. Hanc vocem, scilicet »aliquid«, quam in his frequenter habes determinationem, accipe diversum a determinatis significantem. Saepius quippe determinationes subduntur quae diverse a suis<sup>4</sup> significant determinatis, ut »Arnulfus est habens librum«; nam »librum« aliud significat quam »Arnulfus habens«. Conclude: »Quapropter hae efficiunt aliquid«. Quam conclusionem aequipollenter habes ubi dicitur: ATQUE EX HIS EFFICITUR ALIQUID<sup>5</sup> etc. Locus a toto. Maxima propositio: »Quod convenit toti, et parti«. Nam ista vox »propositiones« est totum huius vocis quae

<sup>1</sup> Boeth. *Introductio in categoricos syllogismos, libri duo* 793C

<sup>2</sup> syllogismos] syllogismis P a.c.

<sup>3</sup> diversum] diversis P a.c.

<sup>4</sup> ad suis] aduis P a.c.

<sup>5</sup> ALIQUID] ALIUD QUIDAM N, sed cf. app.



est »haec«; potes enim propositiones ita dividere: propositiones aliae hae, aliae hae, aliae hae.

CONCLUDITUR ENIM. Quod est: Vere aliud efficitur, nam concluditur. Ipsius quoque »aliud/« significatum subiungit hoc modo: »OMNIS IGITUR HOMO SUBSTANTIA EST«.

QUOD LONGE DIVERSUM EST etc. Q<<uod, id est>> quod significatum conclusionis quod est »OMNIS IGITUR HOMO SUBSTANTIA EST« diversum esse ostenditur ET AB EA PROPOSITIONE QUAE DICIT »OMNIS HOMO ANIMAL EST« ET AB EA QUAE SUUM HOC MODO PROPONIT significatum: »OMNE ANIMAL EST SUBSTANTIA«, quia istae sunt illam probantes, illa vero ab eis fit probata.

SYLLOGISMORUM VERO etc. (II.2.7/1183C) Quod est: Modo supradicto syllogismus definitur, hoc vero modo dividitur: SYLLOGISMORUM ALII PRAEDICATIVI, ALII CONDICIONALES. Quae divisio est generis per differentias. Licet autem SYLLOGISMORUM hanc vocem pluraliter efferat, non tamen erit diversum quam si diceret »syllogismus«, idem namque significant quodammodo. Tale vero est quale est illud: »animalium alia rationalia, alia irrationalia«.

ET PRAEDICATIVI QUIDEM SUNT etc. (II.2.8) Quasi dicat: ALII SYLLOGISMORUM, id est hic syllogismus et hic syllogismus, recipiunt hoc nomen quod est »praedicativus« ad consignificandum, nam recipiunt has alias voces ad illud idem, scilicet »conexum esse EX OMNIBUS PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS«. A definitione. Nam »quod conectitur EX OMNIBUS PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS«, istae videlicet voces, sunt definitio praedicativi syllogismi. Vel ita: Vere hic syllogismus et hic syllogismus comitantur hanc vocem quae est »praedicativus«, nam conectuntur cum ea suis significatis ex omnibus suis partialibus vocibus entibus praedicativis propositionibus. Praedicativus enim syllogismus ideo cum hac differentiali voce suis significatis copulatur quae est »praedicativus« quia suae partiales voces, scilicet »haec propositio« et »haec propositio«, suis nectuntur significatis cum hac differentia, scilicet »praedicativa«. Ideo namque hic syllogismus et hic syllogismus dicitur praedicativus quia haec propositio et haec propositio quae sunt ipsius partes dicitur praedicativa.

UT IS QUEM EXEMPLI GRATIA SUPERIUS ADNOTAVI. Quod est: Hic syllogismus dicitur praedicativus [22] quem habes in superioribus ubi easdem voces, scilicet »hic syllogismus«, ut gratum in significatis redderem exemplum annotavi. Dixit enim: »Sit enim syllogismus hic«, <sup>1</sup> illius significata subiungens. Vere is syllogismus superius annotatus dicitur praedicativus, id est hanc

---

<sup>1</sup> II.2.5/1183B

differentialem comitatur vocem, »praedicativus« scilicet, in consignificatione, nam comitatur has alias voces »texi [[ex]] OMNIBUS PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS«; et hoc est quod dicit: OMNIBUS ENIM PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS TEXTITUR. A pari vel a definitione. Paria namque sunt praedicativus syllogismus et textum esse omnibus praedicativis propositionibus. Quem versiculum, scilicet OMNIBUS ENIM, sic expone ut superius expositum est QUI EX OMNIBUS PRAEDICATIVIS PROPOSITIONIBUS CONECTUNTUR.

HYPOTHETICI VERO etc. (II.2.9) Quod est: Hic et hic syllogismus qui ex omnibus praedicativis nectitur propositionibus dicitur praedicativus, hic vero et hic syllogismus dicitur hypotheticus QUORUM PROPOSITIONES, videlicet haec propositio et haec propositio, suis NECTUNTUR significatis cum hac voce quae est »condicio«. In significatis vero ostendit quod hic syllogismus nectitur condicione hoc modo: UT HIC: »SI DIES EST, LUX EST« etc. Vere hic syllogismus nectitur suis significatis cum hac voce »condicio«, nam prima propositio, eius scilicet pars, nectitur suo significato cum »condicio« voce; hoc vero est quod dicit: PROPOSITIO ENIM PRIMA etc. A parte. Nam hic syllogismus alia pars \est/ propositio prima, alia secunda propositio praedicativa propositio. Quod dicit CONDICIONEM HANC \*\*\*<sup>1</sup>

INDUCTIO <VERO> EST ORATIO etc. (II.2.10) »Syllogismus est oratio in qua positis quibusdam etc.«,<sup>2</sup> INDUCTIO VERO EST ORATIO, id est haec specialis VOX INDUCTIO est eiusdem essentiae cuius est ORATIO per has differentiales voces coarctata, scilicet PER QUAM FIT A PARTICULARIBUS AD UNIVERSALIA PROGRESSIO. Supponit vero significata in quibus comitantur se INDUCTIO atque ORATIO sic constricta per differentias ut dictum est hoc modo: SI IN REGENDIS NAVIBUS etc.

VIDES IGITUR etc. (II.2.11/1183D) Quasi dicat: Quia his significatis convenit »inductio«, ergo »oratio currens per singulas res ad universale« eis conveniet. A pari. Cuicumque enim definitum convenit et definitionem convenire necesse est. Vel ita: \*\*\*<sup>3</sup>

QUI SCIT IGITUR MALUM etc., QUOD NON PROCEDIT. (II.2.14/1184B) »Utrum quidam sciens malum sit malus?«; »Omnis bonus est sciens malum«, [[Nu]] quam propositionem habes ubi dicitur: MALI QUIPPE NOTITIA DEESSE NON POTEST BONO. (II.2.15); »nullus autem bonus est malus; quidam igitur sciens malum non est malus.« Assumptionem et conclusionem habes extra. A contrariis. »Contrariorum posito uno aufertur reliquum«. Quae contraria in assumptione nota, bonus scilicet et malus. »Utrum bonus sciat malum?«, quam

<sup>1</sup> spatium vacuum x fere vocum capax reliquit P

<sup>2</sup> II.2.3/1183A

<sup>3</sup> spatium vacuum II-III fere linearum capax reliquit P

quaestionem a prima propositione accipis; »Si aspernatur malum, et scit malum«. Inter effectum et causam. »Sed hoc est, illud igitur«. »Utrum aspernetur malum?«; »Si diligit bonum, et aspernatur malum«. Inter contraria. »Sed hoc est, igitur illud«. »Oppositorum opposita propria esse oportere« vel haec: »Contrariis contraria conveniunt«. [[Di]] Bonum et malum sunt contraria, et diligere et aspernari similiter. »Utrum cum aspernatur malum, sciat malum?«; »Si cum nesciret malum non aspernatur malum, tunc cum aspernatur malum scit malum«. Inter causam et effectum. Quam propositionem habes aequipollenter ubi dicitur: NEC VITARE VITIUM etc. Assume ac conclude extra.

HIS ERGO DUOBUS etc. (II.2.16) Quod est: Quia argumentatioprehenditur in HIS DUOBUS, scilicet syllogismo et inductione, ergo et ALII DUO MODI DEPREHENDUNTUR in HIS DUOBUS. A toto in partes. Hoc vero est quale est illud. Quia omne animalprehenditur in rationali et irrationali, ergo et homo et equus. Licet autem has duas species argumentationis, enthymema videlicet atque exemplum, in his duabus principalibusprehendi dicat, non tamen species vel partes illarum esse dices; sed [ad] quemadmodum quinque modi primae figurae in quattuor eiusdem figurae modis<sup>1</sup>prehenduntur, non ut partes illorum sint vel species, sed ut vim ab eis et probabilitatem sumant, ita isti DUO ARGUMENTATIONIS MODI in syllogismo et inductione DEPREHENDUNTUR ut vim ac probabilitatem ab eis habeant.

[22'] IN QUIBUS <QUIDEM> PROMPTUM EST<sup>2</sup> etc. EXORDIUM vocat horum duorum modorum definitionis principium quod a SYLLOGISMO ducunt ET AB INDUCTIONE.

HAEC AUTEM SUNT ENTHYMEMA ATQUE EXEMPLUM. »Duo quidam«,<sup>3</sup> id est ignoti, in »hisprehenduntur«, sed modo fiant noti:<sup>4</sup> Unus dicitur ENTHYMEMA, alter vero EXEMPLUM.

ENTHYMEMA QUIPPE EST IMPERFECTUS SYLLOGISMUS (II.2.17) Quasi dicat: Bene dico enthymema suppositum esse syllogismo et ab eo sumere exordium, nam ENTHYMEMA dicitur SYLLOGISMUS, cum hac determinatione tamen quae est IMPERFECTUS.

ID EST ORATIO IN QUA NON OMNIBUS etc. Has accipito voces differentiales, IN QUA NON OMNIBUS ANTEA PROPOSITIONIBUS CONSTITUTIS INFERTUR FESTINATA CONCLUSIO, ut superius in descriptione syllogismi et [[enthymematis]] inductionis voces positas differentias habuisti.

---

<sup>1</sup> modis] modos P

<sup>2</sup> EST] SIT N

<sup>3</sup> II.2.16 : duo quidam] duo quidem N, sed cf. app.

<sup>4</sup> noti] nota P a.c.

UT SI QUI<sup>1</sup> SIC DICAT. Quod est: »Enthymema est oratio etc.«, UT »HOMO ANIMAL EST, SUBSTANTIA IGITUR EST«, SI QUI SIC proferat hanc propositionem: »HOMO ANIMAL EST« ut inde inferat: »SUBSTANTIA IGITUR EST«; potest enim ea intentione illam alio tempore proferre ut nihil inde velit inferri.

PRAETERMISIT ENIM etc. Vere haec significata propositionum »HOMO ANIMAL EST, SUBSTANTIA IGITUR EST« proferens non omnes propositiones, id est hanc et hanc propositionem, id est primam et secundam et tertiam propositionem, [non] antea protulit, nam PRAETERMISIT ALTERAM PROPOSITIONEM, id est secundam. Vel ita continuato: Vere hic syllogismus cuius significata sunt: »HOMO ANIMAL EST, SUBSTANTIA IGITUR EST« est imperfectus, nam PRAETERMISIT ALTERAM PROPOSITIONEM QUA PROPONITUR, id est cuius significata sunt haec: »OMNE ANIMAL SUBSTANTIA EST«.<sup>2</sup>

ERGO QUONIAM ENTHYMEMA etc. (II.2.18/1184c) Quasi dicat: Quia enthymema per omnia cum syllogismo convenit excepto quod alteram praetermittit propositionem, ergo QUASI, id est perfecte, SIMILE EST SYLLOGISMO.<sup>3</sup> Repetit vero locum unde inferat hoc modo: QUONIAM ENTHYMEMA AB UNIVERSALIBUS AD PARTICULARIA PROBANDA CONTENDIT, alterum tamen tacet unde haec illatio descendit dans illum ibi intelligere ubi dictum est: »Enthymema est oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis infertur festinata conclusio«;<sup>4</sup> hoc enim solum removet in enthymemate, omnes scilicet propositiones ante conclusionem constitui. Cum ergo syllogismus partim ab universalibus ad particularia, partim vero ab universalibus ad universalia probanda contendat, enthymema ab his eisdem ad haec eadem probanda contendet cum perfectam in materia [si] similitudinem habeant.

EXEMPLUM QUOQUE <etc.>; EST ENIM EXEMPLUM (II.2.19) Vere EXEMPLUM DISSIDET ab inductione, nam contendit suum PARTICULARE PROPOSITUM PER aliud PARTICULARE OSTENDERE, cum inductio a pluribus particularibus ad aliquod universale intendat. PARTICULARE pro »singulari« hic accipe, significat enim utrumque, et »singulare« et »non singulare«. Si autem opponis illud unum divisionis superius positae propositionis membrum ubi dictum est »aliae singulares«<sup>5</sup> superflue positum esse cum »particulare« et

<sup>1</sup> QUI] QUIS N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> SUBSTANTIA EST] ESSE SUBSTANTIAM N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> EST SYLLOGISMO] SYLLOGISMO EST N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> II.2.17/1184C

<sup>5</sup> I.4.5/1175A

particulariter significet et singulariter, nullam facis oppositionem; nam quemadmodum »animal« in praedicamento substantiae licet sit aequivocum in speciali stringitur significatione, ita »particulare« ab aequivocatione coarctatum in divisione propositionis pro una accipitur differentia aliud quam »singulare« significante.

APPROBATUM EST ENIM \*\*\*<sup>1</sup>

QUAE UTRAQUE PARTICULARIA ESSE AC NON UNIVERSALIA SINGULARIUM DESIGNAT INTERPOSITIO PERSONARUM. (II.2.20) »Personas singulares« hic accipe haec duo nomina, »Scipio« »Tullius«, posita videlicet inter »necari« et »interemptus«.

QUONIAM IGITUR PARS EX PARTE<sup>2</sup> <AP>PROBATUR. Hanc illationem facit a causa repetendo unde inferat. QUASI SIMILITUDINEM ideo dicit exemplum habere INDUCTIONIS quia particulare particulariter \non/ ut inductio probat, quae non est perfecta similitudo; [23<sup>3</sup>] inductio enim universale per particularia probat, non per unam tantum partem.

ITA IGITUR DUAE SUNT SPECIES ARGUMENTANDI (II.2.21/1184D)<sup>3</sup> Quia illae duae argumentationis species, enthymema atque exemplum, sunt secundariae, ergo istae DUAE, syllogismus videlicet ac inductio, SUNT PRINCIPALES. A relativis. Quia vero illae deprehenduntur in istis, ergo sunt sub eis, id est inferiores eis; hoc vero est quod dicit: SUB HIS AUTEM. A causa.

RESTAT NUNC QUID SIT LOCUS APERIRE. (II.2.23/1185A) Superiorum definitionibus divisionibusque, ut proposuit, seriatim ostensis de loco cuius causa illa praemittere curavit suum sequens propositum tractare intendit hoc modo incipiens: RESTAT NUNC etc. Quod est: Nunc instat reliquis retro expositis inde causa existentibus demonstrare quae sit essentia huius vocis, videlicet »locus«.

3| Cui vocabulo taliter alludit: LOCUS NAMQUE etc. (II.3.1) Quasi dicat: Bene dico aliquam rem posse nuncupari LOCUS, nam illa res quae dicitur SEDES ARGUMENTI appellatur LOCUS, quod Tulliana confirmat auctoritate ad hunc modum: UT M. TULLIO PLACET.

CUIUS DEFINITIONIS etc. Quasi dicat: Vim, id est causam, huius definitionis qua rebus imponitur ab obscuritate per pauca verba solvam, quae causa est argumentatio.

<sup>1</sup> spatium vacuum VIII fere vocum capax reliquit P

<sup>2</sup> PARS EX PARTE] EX PARTE PARS N, sed cf. app.

<sup>3</sup> DUAE SUNT SPECIES ARGUMENTANDI] DUAE QUIDEM SUNT ARGUMENTANDI SPECIES N, sed cf. app.

Quaeri solet quare huius definitionis causam reddat cum superiorum nullam dedisset definitionum. Quod tali solvitur ratione: Quia haec variis imponitur rebus, quod non contingit \in/ aliis.

Sed prius quam causam huius definitionis aperiam, hanc aliam reddo causam quare illam volo aperire: ARGUMENTI ENIM SEDES etc. (II.3.2) Quod est: Ideo huius definitionis ostendere causam \scilicet cur sit rebus imposita/ intendo quia ipsa diversis de causis rebus imponitur diversis; nam alio respectu MAXIMA PROPOSITIO [[in]] dicitur SEDES ARGUMENTI et PARTIM, id est alio intuitu, MAXIMAE PROPOSITIONIS DIFFERENTIA.

Hac vero causa ostensa ostendit quam promisit causam definitionis hoc modo: NAM NECESSE EST UT ILLAE propositiones TENEANT ANTIQUISSIMAM PROBATIONEM OMNIUM QUAE DUBITANTUR QUAE ITA ALIIS FIDEM FACERE POSSUNT<sup>1</sup> UT IPSIS NIHIL QUEAT NOTIUS INVENIRI. (II.3.3) Ac si dicat: Idcirco maxima propositio dicitur sedes argumenti quia firmam argumentationi dat evidentiam. Quoniam vero maxima propositio sedes argumenti ideo dicitur quia dat evidentiam antiquissimae probationi, id est argumentationi, patet quod ipsa argumentatio eius sit definitionis causa quare \ipsa/ maximae conveniat propositioni.

Causam quoque <<...>>/ [[reddit]] quare hanc posuit determinationem »QUAE ITA ALIIS FIDEM FACERE POSSUNT<sup>2</sup> UT IPSIS NIHIL QUEAT NOTIUS INVENIRI«: CUM SINT ALIAE PROPOSITIONES QUAE CUM PER SE NOTAE SINT etc. Quasi dicat: Bene posui hanc determinationem »QUAE ITA ALIIS etc.« quia ALIAE PROPOSITIONES SUNT PER SE NOTAE, aliae vero quarum fidem ipsae per se notae supplent. Potes etiam si placet in his argumentari hoc modo: »Aut illae tenent antiquissimam probationem quae aliis fidem faciunt aut illae quibus per eas fit fides«. Ab immediatis \inter immediata/; et hoc habes ubi dicitur: CUM SINT ALIAE PROPOSITIONES etc. Nega consequens et conclude ponendo antecedens.

Probat quoque quod ILLAE TENEANT ANTIQUISSIMAM PROBATIONEM, id est dent argumentationi evidentiam. »Vere maximae propositiones tenent argumentationem, nam tenent argumentum«, id est dant evidentiam argumento. A causa in effectum. »Utrum maxima propositio de[[n]]t argumento evidentiam?«; »Omne argumentum facit dubiae rei fidem; omne autem quod dubiae rei facit fidem est notius ac probabilius per maximam propositionem«, quae determinatio iudicatur posse hic accipi quia in conclusione notatur; »ergo omne argumentum est notius per maximam propositionem«, quod est aequipollens ac si diceret: »Omne argumentum recipit evidentiam a maxima

<sup>1</sup> POSSUNT] POSSINT N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> POSSUNT] POSSINT N, *sed cf. app.*

propositione«. Quem syllogismum habes hypothetice dispositum ubi dicitur: NAM SI ARGUMENTUM EST QUOD DUBIAE REI etc. (II.3.4/1185B) Locus a descriptione. Maxima propositio: »Quod convenit descriptioni, et descripto«.

SED HUIUSMODI PROPOSITIO (II.3.5) Quod est: Maxima propositio tribuit evidentiam argumentationibus et hoc non solum EXTRA ambitum ARGUMENTI POSITA facit, sed etiam INTRA AMBITUM ARGUMENTI posita. AMBITUM ARGUMENTI accipe hanc vocem, non eius significatum quod est argumentatio per quam anima arguens ambit adversarii animum; VIRES ARGUMENTI pro argumentatione probabili habeto.

ET EXEMPLUM QUIDEM EIUS etc. (II.3.6) EXEMPLUM ARGUMENTI et AMBITUM ARGUMENTI pro eodem habe. Nam EXEMPLUM dicitur quod ad alicuius rei fit similitudinem, argumentatio autem fit quodammodo ad similitudinem argumenti.

SIT ENIM QUAESTIO etc. Bene dico SIT QUAESTIO, nam bene potest esse. Quia vero ista potest esse quaestio, ITA IGITUR DICEMUS (A causa): »REGNUM DIUTURNIUS EST QUAM CONSULATUS, CUM UTRUMQUE SIT BONUM«. Nota quod non recte concluditur in hoc syllogismo secundum hoc quod hic est dispositus. Ut igitur rectius concludere possis ex eiusdem syllogismi materia duos compone syllogismos hoc modo: »Omne diuturnius bonum est melius bonum; regnum autem est diuturnius bonum; regnum igitur est melius bonum«. A toto. Item: »Omne brevius bonum est minus bonum; consulatus autem est brevius bonum; est igitur consulatus minus bonum.« Item a toto. Nota etiam quod sophisticum hic posuit syllogismum pro exemplo gratia exercendi lectoris; huic enim syllogismo maxima potest attribui propositio \extra/ quod non contingeret si hic inesset maxima [23'] propositio. Finge ergo syllogismum aliquem in quo maxima sit inserta propositio, et videbis non egere ibi aliqua extra data propositione maxima. Sit enim in quaestione utrum quoddam generalissimum praedicetur de specie: »Quod praedicatur de genere, praedicatur de specie; quoddam autem generalissimum praedicatur de genere; quoddam igitur generalissimum praedicatur de specie«. Cum igitur hic syllogismus nullo aliunde ad fidem sui egeat auxilio, patet quod insertam habet propositionem maximam.

HUIC IGITUR ARGUMENTATIONI (II.3.7) Quasi dicat: Quia argumentum retinet maximam propositionem intra hanc argumentationem suam, ergo maxima propositio est inserta, id est retenta, huic argumentationi. A causa in effectum. Est vero illi simile: »Quia sol praesto est, ergo aer lucidus est«. Ob hoc vero istud interponit, scilicet ID EST LOCUS, ut ostendat quod hoc vocabulum, »locus« videlicet, maximae competat propositioni sive intra sive extra argumentationem positae.

HOC ENIM ITA NOTUM EST etc. (II.3.8/1185c) Si sequendo sophisticum exemplum quod hic posuit istud legeris, sophisticè etiam probabis illum syllogismum per insertam propositionem maximam firmum esse et nullo aliunde ad fidem sui indigere. Si autem bonum posueris exemplum, haec probatio recta, non sophistica erit. Sic ergo dices: Vere maxima propositio est huic argumentationi inserta, nam HOC ITA NOTUM EST UT EXTERIORI PROBATIONE NON EGEAT ET IPSUM extra positum ALIIS POSSIT ESSE PROBATIO. A definitione maximae propositionis.

ATQUE IDEO, scilicet quia non eget extranea probatione, TOTAM aliam PROBATIONEM quam comitatur CONTINET, id est ei dat evidentiam, ET CUM INDE NASCITUR, id est fit, ARGUMENTUM, RECTE LOCUS VOCATUR. Istud CUM accipe causale.

UT VERO EXTRA POSITA etc. (II.3.9) Exemplum superius positum fuit datum ut ostenderetur quod maxima propositio intra ambitum argumenti posita fidem alii faciat probationi, TALE VERO SIT EXEMPLUM ad ostendendum quod illa EXTRA POSITA VIRES, id est virtuosas argumentationes, ARGUMENTO AFFERAT. Idem significat EXEMPLUM hic ut superius [quod] »argumentatio«.

SIT ENIM PROPOSITUM etc. Quaestionem converte aliter quam in libro habeas dispositam SAPIENS in subiecto ponens, quod hoc modo debere fieri conclusio ibi posita indicat.

IN HAC IGITUR ARGUMENTATIONE etc. (II.3.10) Quia maxima propositio extra posita dat fidem huic argumentationi, ergo nulla MAXIMA PROPOSITIO est IN HAC ARGUMENTATIONE INCLUSA, SED IPSA MAXIMA SUBMINISTRAT, id est parumper ministrat, vim et probabilitatem ARGUMENTATIONI. A repugnanti. Repugnat enim ut aliqua extra posita confirmet argumentationem et <ut> aliqua sit in ipsa argumentatione posita. Probat autem a duplici specie quod maxima propositio extra posita vires praebeat argumentationi, nam haec maxima propositio: »QUORUM DIVERSA EST DEFINITIO, IPSA QUOQUE ESSE DIVERSA« dat huic syllogismo fidem; hoc est quod dicit: EST ENIM HUIC SYLLOGISMO FIDES EX EA PROPOSITIONE PER QUAM COGNOSCIMUS syllogismum superius dispositum. Locus a specie argumentationis et a specie maximae propositionis vel a partibus utriusque.

EST AUTEM IN DEFINITIONE QUIDEM INVIDI HOC AUTEM accipe discretivum. Quasi dicat: Hic totus syllogismus continetur ab hac maxima propositione: »Quorum diversa est definitio« vel »A quo removetur definitio etc.«, pars autem eius syllogismi, scilicet ALIENIS BONIS TABESCERE, deprehenditur sub eiusdem maximae propositionis differentia quae est »definitio«. Nam ideo haec maxima propositio attribuitur huic syllogismo quia eius pars suae differentiae, videlicet »definitioni«, ut significatum significanti datur per quam totus syllogismus fidelis efficitur, quod in omnibus differentiis maximae



propositionis similiter fieri contingit; sive enim »a genere« sive »a specie« vel »a toto« vel »a parte« vel aliqua alia fuerit differentia propositionis maximae, fidem argumentationi cui adaptatur necesse est per eam fieri.

Secundum vero eos qui »enim«<sup>1</sup> habent ita id legi oportet: Vere haec maxima propositio dat fidem huic syllogismo, nam in »definitione«, scilicet eius differentia, ipsius syllogismi pars comprehenditur, id est quia »definitio« illius propositionis differentia eidem syllogismo fidem praebet. A parte.

EST IGITUR UNO QUIDEM MODO LOCUS (II.3.11/1185D) Quasi dicat: Quia et intra POSITA et extra FIDEM argumentationi SUBMINISTRAT MAXIMA PROPOSITIO, ergo UNO MODO, id est una consideratione, ipsa dicitur LOCUS. \A causa./ MAXIMA ideo dicitur quia plures continet syllogismos, UNIVERSALIS vero quia unicuique illorum servit, PRINCIPALIS autem quia probat alias, INDEMONSTRABILIS vero quia a nullo probatur, PER SE vero NOTA quia sui termini sunt per se noti.

IDEO AUTEM UNIVERSALES (II.3.12) Quod est: Ideo dicitur maxima propositio locus quia subministrat vim argumentis et conclusionibus, ideo autem ipsae dictae loci hac de causa dicuntur UNIVERSALES ET MAXIMAE QUONIAM CETERAS CONTINENT PROPOSITIONES ET PER EAS FIT CONSEQUENS ET RATA CONCLUSIO.

Ostensa causa quare locus dicatur maxima propositio ostendit qua similitudine hoc vocabulum ei congruat tali modo: AC SICUT LOCUS IN SE CONTINET etc. (II.3.13/1186A) Quod est: Maxima propositio, ut dictum est, dicitur locus et hac similitudine, nam quemadmodum quantitativus locus continet in suis partialibus vocibus quantitativas partes quantitativi corporis (ubicumque enim sunt [[super]] longitudo, |24<sup>r</sup>| latitudo, altitudo, ibi has corporis partes \esse/ necesse est: sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, ante et retro), ITA HAE PROPOSITIONES CONTINENT<sup>2</sup> OMNEM probabilitatem ac necessitatem POSTERIORUM, id est propositionis et assumptionis, et CONCLUSIONIS CONSEQUENTIAM, id est consequentem conclusionem. Propositionem et assumptionem ideo posteriores vocat ipsa propositione quia licet per eas conclusio rata consequatur, tamen evidenti[us]or per maximam propositionem ostenditur.

ET HOC<sup>3</sup> QUIDEM MODO Quod est: Hac similitudine praemissa maxima propositio [[dicitur]] continet argumentationem et hac eadem meta ipsa dicitur locus.

---

<sup>1</sup> lectio enim in apparatu Nikitae non memoratur

<sup>2</sup> CONTINENT] om. N, sed cf. app.

<sup>3</sup> HOC] UNO N

Possunt quoque hi duo versus aliter continuari et legi ad hunc modum: Uno modo, ut probatum est, dicitur maxima propositio locus. Ideo autem ipsa locus dicta est quia ipsa, \id est/ suarum remota consideratione differentiarum, ceteras continet, id est cohaerentes esse ostendit, propositiones [[propositiones]] et per eam fit consequens, id est necessaria, et rata, id est probabilis, conclusio. Nam quemadmodum aliud est probare Socratem esse hominem album et aliud simpliciter album, ita quidem diversum est probare maximam propositionem dici uno modo locum ab eo quod ea probatur dici simpliciter locus.

Ostendit vero qua similitudine maxima propositio contineat ceteras propositiones hoc modo: AC SICUT LOCUS etc. (II.3.13/1186A) Quod est: Maxima propositio continet alias propositiones et hoc modo continet, scilicet quemadmodum locus quantitativas corporis partes in suis continet partibus ut [a] ostensum est, ita maxima propositio continet OMNEM VIM POSTERIORUM, id est necessitatem ac probabilitatem propositionis et assumptionis, et conclusionem simul cum eis sequentem; nam ubicumque illis duabus praecedentibus conclusio sequitur ad illarum omnium corroborationem universalis propositio necessario datur. Recte ergo dictum est ipsam alias continere propositiones ad modum continentiae loci in quantitativo corpore cum semper vel detur consequenter post illas vel intelligatur ut loci quantitativi partes in corporis eiusdem generis partibus consequenter accipiuntur. Quoniam vero taliter loco assimilatur quantitativo, ipsum etiam nomen, videlicet »locus«, sibi vindicavit; et hoc est quod sequitur: ET HOC<sup>1</sup> QUIDEM MODO LOCUS etc.

Ostenso quomodo maxima propositio dicitur locus [[ostendit]] dicit idem vocabulum earundem differentiis alio intuitu convenire hoc modo: ALIO VERO MODO LOCI VOCANTUR DIFFERENTIAE etc. (II.3.14)<sup>2</sup> Quasi diceret: Principalis propositio ideo locus dicitur quia continet ceteras, alio vero respectu ipsius differentiae hoc nomen retinent, illae scilicet maxime quae terminis inhaerent quaestionis.

Quaeritur quare quaestioni inhaerentes hic determinet<sup>3</sup> cum non inhaerentes etiam loci dicantur. Ad quod respondetur: quia illi sunt necessarii atque probabiles. Quamvis enim quidam alii differentiales loci sint quodammodo necessarii praeter inhaerentes, non tamen tantum habent evidetiae quantum illi qui inhaerent, et ob hoc illas etiam hic tacuit.

Hae autem DIFFERENTIAE vel istae possunt accipi, scilicet »a genere« »a toto« »a partium enum<er>atione« vel earum significata, videlicet »animal« »homo« et similia. Si autem has superiores differentias esse dixeris, sic expones

<sup>1</sup> HOC] UNO N

<sup>2</sup> VOCANTUR DIFFERENTIAE] VOCANTUR MAXIMARUM DIFFERENTIAE N

<sup>3</sup> determinet] determinass P a.c. ut videtur

DIFFERENTIAE VOCANTUR LOCI QUAE DUCUNTUR a TERMINIS quaestionis: Voces quae dicuntur maximarum differentiae propositionum, scilicet »a genere« »a toto«, recipiunt hanc vocem quae est »locus« ad consignificandum »animal« et ei similia, illae videlicet quas sumunt illi termini qui sunt in hac voce quae est »quaestio« positi ad hoc ut ab eis significantur. Si vero significata generis et speciei ac ceterorum a »differentia« voce significari volueris, hoc nomen quod »est/ »locus« ut significatis significans eis congruere concedes, et quod dicit: DUCUNTUR AB HIS TERMINIS QUI IN QUAESTIONE SUNT CONSTITUTI hoc modo expones: Illas voces dico differentias esse maximarum propositionum et vocari locus quae ducuntur a terminis quaestionis ad idem significandum, id est quae in significatione terminis in quaestione positis inhaerent.

DE QUIBUS DEINCEPS DISSERENDUM EST. Quod est: Quia loci inhaerentes terminis quaestionis sunt necessarii, merito de illis consequenter post maximae propositionis tractatum diligenter est <dis>serendum. Probat vero quod differentiae a terminis ductae quaestionis vocentur locus sic: »Si omnes maximarum differentiae propositionum vocantur locus, et differentiae a terminis quaestionis ductae vocantur locus«. Inter totum et partem. »Sed hoc est«, quam assumptionem habes ubi dicitur: EAS OMNES LOCOS VOCAMUS. Conclusio: »Illud igitur«. A toto.

Probat quoque quod differentiae maximarum propositionum vocentur locus, nam dividunt maximam propositionem quae dicitur locus. Ab effectu. Quod aequipollenter habes ubi dicit: CUM ENIM SINT PLURIMAE PROPOSITIONES QUAE MAXIMAE VOCANTUR et cum HAE INTER SE SINT<sup>1</sup> DISSIMILES, EAS OMNES differentias QUIBUS DIFFERENTIIS DISCREPANT VOCAMUS LOCOS. (II.3.15) Hoc quod dicit DISSIMILES facit huic quaestioni fidem, possent enim plurimae esse et inter se quodammodo discrepare, scilicet personaliter, sed tamen in eadem convenire essentia, ut Socrates et Plato ac Cato licet personaliter differant, tamen in consimili conveniunt natura.

Quod si quaeris unde illud consequatur si maxima propositio quam dividunt vocatur locus, et illae dividentes dicantur locus, dicemus a toto. Omnis namque differentia comitatur illam vocem in significatione quam comitatur illud cuius differentia est. Nam si corpus est substantia, id est comitatur »substantiam« vocem in significatione, ergo »animatum« et »inanimatum«, quae [24] illud dividunt, significabunt idem quod »substantia«, et si animal est substantia, ergo rationale et irrationale erunt substantia. Similiter et in aliis.

Probat quoque quod eadem differentiae vocentur locus hoc modo: NAM SI IPSAE PROPOSITIONES <MAXIMAE> ARGUMENTORUM LOCI SUNT, ET

---

<sup>1</sup> SINT] om. N, sed cf. app.

DIFFERENTIAS EORUM<sup>1</sup> ARGUMENTORUM LOCOS ESSE NECESSE EST. (II.3.16) Inter minus et maius. Quasi dicat: Si maximae propositiones dicuntur locus quae nullam eius nominis aliam habent causam nisi quod ipsam declarant argumentationem, tunc illarum differentiae per quas eam habent declarationem et quibus infertur conclusio consequens vocabuntur locus.

Probat vero quod voces maximas propositiones dividentes sint differentiae sic: NAM UNIUSCUIUSQUE SUBSTANTIA etc. (II.3.17/1186B) Quasi dicat: In hoc patet quod voces quae dividunt maximam propositionem vocentur differentiae, nam uniuscuiusque maximae propositionis definitionem constituunt, id est quia sunt constitutivae. A specie. Si »animal« et »homo« differentias accipis maximarum propositionum, dices quod definitio\nem/ uni<us>cuius<que> maximae propositionis illa per sua constituunt nomina. »Genus« namque, quod est animalis nomen, constituit definitionem illius maximae propositionis cui nomine carenti imponatur »A«, cuius significatum est »Quod praedicatur de genere universaliter, et de specie«. Sic enim definitur illa: »A est maxima propositio constans ex genere«, item: »B est maxima propositio constans ex specie«, quod facere tibi licet per omnia differentialia nomina maximarum propositionum. In quibus liquescit quod differentiae maximarum propositionum per sua nomina obliquata illas constituunt definitiones. Nota vero quod vel »ex genere« vel »ex specie« in illa definitione positum aliud significat quam voces illud praecedentes, scilicet »maxima propositio constans«, quod in nonnullis descriptionibus aliis fieri contingit. Quod ut exemplo pateat generis descriptionem in promptu habeto, ibi enim invenies quaedam diversa significare.

UT HOMINIS EX RATIONALITATE<sup>2</sup> Quod est: Substantia et definitio uniuscuiusque maximae propositionis constat ex propriis differentiis quemadmodum vides quod substantia HOMINIS huius vocis constat EX RATIONALITATE.

QUAE EST EIUS<sup>3</sup> DIFFERENTIA. Ac si diceret: Bene posui rationalitatem pro exemplo, nam hominis EST DIFFERENTIA.

ET HI LOCI QUI SUNT DIFFERENTIAE etc. UNIVERSALIORES dicit esse differentialia nomina »animal« »homo« et his similia per sua nomina, scilicet per »genus«, per »speciem«, per »totum«, ipsis propositionibus maximis, nam illa differentia quae est »ex toto« [[cum sit in pluribus ...]] non tantum convenit illi maximae propositioni quae dicit: »Quod convenit toti, et parti«, sed etiam pluribus aliis, ut »Cui convenit totum, et pars«; similiter et in aliis. Si autem

<sup>1</sup> EORUM] EARUM N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> RATIONALITATE] RATIONABILITATE N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> EST EIUS] EIUS EST N

nomina »animalis« atque »hominis« et ceterorum differentias esse dicis, simili ratione universaliora dices esse ipsis quarum sunt differentiae. Et quia sunt universaliores, ergo sunt pauciores; hoc vero est quod dicit: ATQUE IDEO etc. (II.3.18) Subiungit quoque unde id consequatur hoc modo: OMNIA ENIM QVAE SUNT UNIVERSALIORA<sup>1</sup> PAUCIORA ESSE SEMPER<sup>2</sup> CONTINGIT. Quasi dicat: Hoc consequitur a toto.

QVAE VERO SINT HAE DIFFERENTIAE MELIUS DIVISIONE PRODUNTUR. (II.3.20) Quod est: Quamvis harum numerus differentiarum non sit multus, tamen per multipliciter divisionis quam in sequentibus dabo quas habeant proprietates melius ostendetur.

IN PRAEDICATIVIS VERO<sup>3</sup> QUAESTIONIBUS (II.3.21) Quod est: Licet quasdam maximarum differentias propositionum duci a terminis qui sunt in quaestione constituti dixissem,<sup>4</sup> in praedicativis tamen quaestionibus duos tantum terminos poni debere certum habeas, subiectum videlicet atque praedicatum. Posset enim aliquis ex hoc quod dixerat differentias duci a terminis quaestionis conicere in ipsa quaestione plures esse terminos quam duos, et ob hoc taliter adversatur: IN PRAEDICATIVIS VERO<sup>5</sup> QUAESTIONIBUS etc. Ut vero confirmet non ultra duos terminos ibi esse, haec subiungit: NIHILQUE IN PRAEDICATIVIS QUAESTIONIBUS ALIUD QUAERITUR NISI AN SUBIECTO PRAEDICATUS INHAEREAT. Quasi dicat: Per hoc tibi manifestum esse potest quod duo termini tantum in praedicativa quaestione ponuntur quod NIHIL in ea QUAERITUR NISI AN PRAEDICATUS terminus SUBIECTO INHAEREAT.

QUOD SI INESSE CONSTITERIT etc. (II.3.22/1186c) Quod est: Qui praedicatus terminus si ipsam quaestionem proferenti subiecto termino inesse constans fuerit, quaeritur post ea ab ipso, id est ipse proferens deinde quaerit illud in mente sua volvens an ita inhaereat ut aliqua harum quattuor vocum suppositarum, scilicet »genus« »accidens« »proprium« »definitio«, respectu alicuius nominis vocis subiectae ei conveniat. Quam consequentiam syllogistice secundum libri dispositionem probare potes taliter quaestionans: »Utrum si inesse constiterit quaeratur an insit ut genus an ut aliquod aliorum trium?«; »Si cum constat nullo modo inesse non quaeritur an [ut] insit secundum aliquod ex istis, tunc cum constiterit inesse quaeritur an insit ut aliquod istorum

<sup>1</sup> SUNT UNIVERSALIORA] UNIVERSALIORA SUNT N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> ESSE SEMPER] SEMPER ESSE N

<sup>3</sup> VERO] AUTEM N

<sup>4</sup> II.3.14

<sup>5</sup> VERO] AUTEM N

&lt;\*\*\*&gt;

[25] (II.7.2/1188A) Vel ita: Vere haec vox MULTIFARIA iungitur cum hac voce DIVISIO HORUM ad consignificandum idem, nam haec quae est »PLURA loca« copulatur cum his aliis vocibus, scilicet ADHAERESCENT SINGULIS SUBSTANTIIS, ut significant idem; nisi enim istae consignificarent, ab illis consignificatio removeretur. Istae voces, MULTIFARIA scilicet DIVISIO, significant illud genus divisum quod est »consequens substantiam« et id dividenda, scilicet »a toto« »a partibus« »a causis« et similia, nam active et passive potens est significare, ut »lectio« »motio« et his similia. Illa vero quae praedictum dividunt genus, quae sunt haec: »a toto« »a partibus« »a causis«, significant eadem quae istae aliae voces, PLURA LOCA ADHAERENT<sup>1</sup> SINGULIS SUBSTANTIIS, maximarum videlicet propositionum [[s]]differentias, quas communes terminos superius esse diximus. Per hoc autem quod dicit horum argumentorum multifariam esse divisionem innuit illam fieri debere in hoc tractatu, quam nusquam tamen faciet quia ubi huiusmodi loca dividet pro eodem habebis ac si ipsa argumenta dividat.

AB HIS IGITUR etc. (II.7.3) Quod est: Quia quaedam argumenta consequuntur substantiam terminorum in quaestione positorum, ergo quaedam argumenta ducuntur a locis terminorum substantiam comitantibus. A pari. Paria enim sunt consequi substantiam terminorum et duci a comitantibus substantiam terminorum. Illa quoque subdit quae cuiuslibet termini definitionem comitantur a quibus argumenta ducuntur hoc modo: AUT A TOTO AUT EX PARTIBUS etc. Ne autem intelligas haec [in]esse terminorum substantiam comitantia, sed eorum significata, ut »animal« »homo« »ignis« »ferrum«.

EFFICIENS CAUSA EST<sup>2</sup> QUAE MOVET ATQUE OPERATUR UT ALIQUID EXPLICITUR. (II.7.4) Ut »praesto« cum »sole« movet hanc vocem quae est »nox« ab aere atque operatur in eo lucidum ut per hanc vocem quae est »dies« explicari possit. Causa vero materialis EX QUA FIT est ut ex ferro fit ferreus et ex auro aureus et ex animali asinus. Fit enim causa ex qua fit vel materia et significatione vel significatione et non materia vel materia et non significatione, quarum plura repperies exempla quam ut aliquo indigeas. Illa vero IN QUA FIT est ut »animal« »corpus animatum« »substantia«, in quibus fiunt »rationale« »sensibile« »corporeum«; haec autem in illis ideo dicuntur fieri quia per ea significare monstrantur. Dicitur quoque finalis causa propter quam fit aliquid, ut victoria propter bellum, beatitudo propter iustitiam.

---

<sup>1</sup> ADHAERENT] ADHAERESCENT N et P *supra*

<sup>2</sup> EFFICIENS CAUSA EST] ET EST EFFICIENS QUIDEM CAUSA N

SUNT ETIAM INTER EOS LOCOS etc. (II.7.5/1188B) Quasi dicat: Ab illis quae superius enumeravimus, scilicet »a toto« »a partibus« ceterisque substantiam terminorum comitantibus, maximae ducuntur propositiones; diximus enim ab eisdem duci argumenta, et undecumque ducuntur argumenta, maximas inde propositiones sumi haud dubium est, et ETIAM INTER EOS LOCOS, id est inter eas maximas propositiones, id est in illarum numero propositionum quae ex consequentibus substantiam sumuntur, sunt quaedam maximae quae sumuntur vel AB EFFECTIBUS AUT A CORRUPTIONIBUS AUT AB USIBUS AUT PRAETER HOS OMNES EX COMMUNITER ACCIDENTIBUS. Communiter accidentia ideo ab aliis quasi separavit quia non ideo firmam ut cetera fidem faciunt.

QUAE CUM ITA SINT et reliqua. (II.7.6) Quod est: Quia nostra intentio est de argumentis atque propositionibus maximis tractare \ac locis/ substantiam consequentibus, ergo illa inspiciamus. Quoniam vero ea omnia inspecturi sumus cum locum a toto superius in primo ordine locaverimus, ergo EUM PRIUS LOCUM INSPICIAMUS. Per PRIUS quod ponit innuit se tractaturum de aliis.

TOTUM DUOBUS MODIS DICI SOLET Sui exsequitur propositum in eo quod totum aliis praeponit. Quod autem dicit TOTUM DUOBUS MODIS DICI idem est ac si diceret: »Duae differentiales voces comitantur hanc vocem in designatione earundem rerum, scilicet »totum«; quas differentias subiungit ubi ait: AUT UT GENUS AUT UT ID QUOD EX PLURIBUS INTEGRUM PARTIBUS CONSTAT. Has voces quae sunt ID QUOD EX PLURIBUS PARTIBUS CONSTAT ad determinationem integri posuit, potest enim »integrum« et alia significare, ut integra anima. Sunt quoque genus et integrum relativa ad<sup>1</sup> illud cuius divisivae sunt differentiae, scilicet totum; dicimus namque integrum partium integrum et e converso et genus speciei genus et e converso.

ET ILLUD QUIDEM etc. (II.7.7) Quod dicit: SAEPE HOC MODO<sup>2</sup> ARGUMENTA SUPPEDITAT pro eodem habe ac si diceret: »Saepe affirmative totalis vox significata a »genus« subministrat quaestionibus argumenta, ut in supposito habes syllogismo: »OMNIS VIRTUS UTILIS EST etc.« HIC est QUAESTIO AN UTILITAS, quod est accidens, IUSTITIAE ACCIDAT accidenti, quod sic contingere per praecedentem ostensum est syllogismum. In quo veterum error infringitur qui nullum accidens in alio accidenti dicebant fundari. LOCUS QUI IN hac voce quae est MAXIMA PROPOSITIO ut significatum in significante CONSISTIT IS est: »QUAE GENERI |25'| ADSUNT, ADSUNT<sup>3</sup> ET SPECIEI«, id est »Quicquid generali accedit voci ut cum ea ad unum quid dirigatur significandum, cum speciali etiam voce ipsius generis idem significare necesse

<sup>1</sup> ad] fortasse in P

<sup>2</sup> SAEPE HOC MODO] HOC MODO SAEPE N

<sup>3</sup> ADSUNT, ADSUNT ET] ADSUNT, ET N, sed cf. app.

est. Quod quia in plurimis falsum esse lippis etiam patet, aliquam huic maximae propositioni supple determinationem ut in omnibus eam facias veram. Sic ergo dicas: »Quaecumque generalis vox universalitatis determinata signo recipit ad consignificandum, ea etiam illius species<sup>1</sup> in consignificatione comitabitur.« Haec quoque maxima propositio quae toti attribuitur integro ut omnibus huiusmodi syllogismis congruere valeat, hoc modo determinanda esse videtur: »Quicquid venit cum aliqua totali voce signo totalitatis determinata ad rem significandam eandem cum partiali eius totius voce idem consignificare non est dubium.« Nam si dicis: »Tota domus est substantia vel alba vel nigra«, vere ilico inferam idem cuilibet suae parti congruere, quod si ea totali determinatione remota »Domus alba est« protuleris, non tamen mox inferendum est album in fundamentum quia solius causa parietis sive tecti album figuratim convenit domui. Cui sententiae per singulas totales currenti voces contradicere laborans se niti contra Aristotelem, istius principem artis, cognoscat, qui in oppositorum tractatu huiusmodi propositionem posse fieri innuit: »Socrates videt«.<sup>2</sup> Quoniam vero huic totali<sup>3</sup> »videt« coniungitur voci quae est »Socrates« unius tantum gratia partis auctoritate Aristotelica, ergo album domui adaptabitur causa solummodo parietis; et si hoc in domo conceditur, in ceteris continuis totis simili ratione igitur concedatur.

Nota quod totum ut genus ab integro differat toto, in eo videlicet quod se sibi suppositis omni modo tribuit, integrum vero totum non omnino se suis attribuit partibus. Potes enim dicere: »Homo est animal« et »Homo est substantia animata sensibilis«, sed non recte dicis: »Paries est domus« nec »Paries est constans ex pariete et tecto et fundamento«. Quod autem domus cum sit totum integrum de parie[s] praedicari non possit in ostensione superioris consequentiae de continuo toto factae patenter ostenditur, quae hoc modo subdebatur: HOMINES AUTEM PARS MUNDI SUNT (II.7.8/1188c) Si enim huiusmodi totum uni suae parti suum accommodaret nomen, ibi procul dubio sic dictum fuisset: »Homines autem sunt mundus«, ita quidem ut mundus, quod est tale totum, de sua una sola parte, scilicet homines, praedicaretur; quod quia fieri \posse/ denegatur in aliis huic similibus totis idem firmum habeatur.

Differt etiam generale totum ab integro quod sua una parte quae est species posita ponitur atque ea remota<sup>4</sup> non removetur; integrum vero una sui parte posita non ponitur; sed illa negata et illud negabitur. Nam nullo modo dicis: »Si paries est, domus est«, ast »Si paries non est, domus non est« recte dicis, quod in

---

<sup>1</sup> species] speciem P a.c.

<sup>2</sup> Arist. Cat. 10.13<sup>b</sup>22

<sup>3</sup> totali] tatali P a.c.

<sup>4</sup> remota] P p.c. ut videtur; quid habeat P a.c. videre nequeo



superiori toto<sup>1</sup> habes e contrario. Dicis enim: »Si homo est, animal est«, sed »Si homo non est, animal non est« si forte diceres, Balduinellus etiam insanabilis ambas tibi buccas inflaret.<sup>2</sup>

A PARTIBUS ETIAM DUOBUS MODIS ARGUMENTA NASCUNTUR (II.7.9/1188c) Quod est: Duae differentiales voces comitantur hanc vocem quae est »totum«, ut dictum est, in designatione vocum, et etiam duae aliae istam quae est »partes« comitantur in consignificatione, quas sic supponit: AUT ENIM A GENERIS PARTIBUS etc. Quasi dicat: Vere duae voces differentiales et »partes« consignant, nam istae duae, scilicet »partes generis« et »partes integri toti« quae dignius partes dicuntur quam illae quae »species« nomen recipiunt, »partes« in designatione vocum comitantur. A toto. Vel est illarum ostensio differentiarum, quarum exempla utrarumque affirmative subiungit atque negative ut ostendat qualiter suis totis ponendo fidem faciant ac removendo hoc modo: SIT QUAESTIO »AN VIRTUS MENTIS BENE CONSTITUTAE SIT HABITUS?«. (II.7.10) Id est »AN istae voces, scilicet HABITUS MENTIS BENE CONSTITUTAE, sequantur hanc vocem quae est VIRTUS ut definitio definitum in rerum earundem designatione?« Cui quaestioni a definitione enti talis fiat argumentatio: »SI IUSTITIA FORTITUDO MODERATIO ATQUE PRUDENTIA HABITUS MENTIS BENE CONSTITUTAE<sup>3</sup> SUNT«, id est »SI HABITUS MENTIS BENE CONSTITUTAE comitatur iustitiam, fortitudinem et alias duas species virtutis in designatione rerum, et ipsum genus, scilicet virtutem, comitabuntur«. Inter species et genus, quod ostendit ubi dicit: HAEC AUTEM QUATTUOR UNI VIRTUTI VELUT GENERI SUBICIUNTUR. Quasi dicat: Si quaeris unde id consequatur, »A speciebus« respondebo. Quod huius consequens propositionis sub conclusione posuit ideo fecisse videtur ut ostenderet in huiusmodi propositionibus antecedens debere concludi vel consequens. Consequens quidem antecedenti in [[*fere* / *vox erasa*]] assumptione \vel/ affirmative \vel negative/ posito ut in illa quam hic posuisse debuit assumptione ostenditur. Nam illa affirmata quae est anterioris antecedens propositionis eiusdem propositionis [26'] consequens affirmative hoc modo concludit: »VIRTUS Igitur BENE CONSTITUTAE MENTIS EST HABITUS«. Antecedens vero consequenti in assumptione negato affirmative concluditur. Si autem in assumptione defenditur consequens, in conclusione negabitur, quod in immediatis fieri contingit. MAXIMA PROPOSITIO: »QUOD ENIM SINGULIS PARTIBUS INEST, IDEM TOTI INESSE NECESSE EST«. Hanc quoque determinandam esse ut vera habeatur perpende. Omnibus namque animalis

<sup>1</sup> toto] tota P a.c., ut videtur

<sup>2</sup> cf. Hor. Sat. 1.1.21

<sup>3</sup> MENTIS BENE CONSTITUTAE] BENE CONSTITUTAE MENTIS N, sed cf. app.

speciebus aliquid<sup>1</sup> inesse potest ut non tamen omnibus illarum partibus insit; si enim albedo omnibus individuís specierum animalis non inest, falsum erit dicere: »Omne animal album est«, licet omnibus suis speciebus albedo conveniat. Quapropter eam hoc modo determinemus: »Quod singulis partibus cuiuslibet totius universaliter inest, idem ipsi toti necesse est inesse«.

Ostenso quomodo partes generis suum probent totum ostendit qualiter integri partes suo fidem ingerant toti hoc modo: SIT QUAESTIO »AN SIT UTILIS MEDICINA«. (II.7.11/1188D)

HAEC QUAESTIO IN ACCIDENTIS DUBITATIONE CONSTITUTA <EST>. Quod est: Significatum ab hac voce quae est »haec quaestio« est statuta cum aliis significatis infra hanc vocem quae est »dubitatio accidentis«, id est »quaestio de accidenti«. Quoniam vero haec quaestio valere videtur, igitur eam probemus; hoc est quod dicit: DICIMUS IGITUR: »SI DEPELLI MORBOS SALUTEMQUE SERVARI MEDERIQUE VULNERIBUS<sup>2</sup> UTILE EST, UTILIS IGITUR<sup>3</sup> MEDICINA«. Has esse continui totius partes, scilicet DEPELLI MORBOS etc., ne dubites cum s[[c]]uum totum, scilicet MEDICINA, singulatim in praedicatione non recipiant. Non enim dicendum est: »Depellere morbos medicina est« vel »Salutem servari medicina est«, sed de omnibus illis in subiecto congregatim posititis tantum modo medicinam praedicari congruum est, quamvis vulgaris usus id aliter habeat. Huius autem consequens propositionis conclusive ut superius posuit propter eandem quam praemisimus causam.

Demonstrato qualiter utriusque totius \plures/ partes fidem suis operentur totis ostendere intendit quomodo una quaelibet pars cuiuslibet totius suo toti fidem faciat superioribus taliter adversans: SAEPE AUTEM ET UNA QUaelibet (II.7.12/1189A) Quod dicit: UT ARGUMENTATIONIS FIRMITAS CONSTET pro eodem habe ac si diceret: »ut maxima propositio quae argumentationem firmam facit rata cum ipsa stet argumentatione«.

De partibus autem generalis totius exemplum proponit hoc modo: UT SI DUBITETUR DE ALIQUO<sup>4</sup> »AN SIT LIBER FACTUS<sup>5</sup>«, talis fiat argumentatio: »SI VEL CENSU VEL TESTAMENTO VEL VINDICATA manumissus est, tunc LIBER FACTUS<sup>6</sup> est«. Inter partem et totum.

---

<sup>1</sup> aliquid] aliquod P

<sup>2</sup> VULNERIBUS] VULNERIBUS MORTALIBUS N, *sed cf. app.*

<sup>3</sup> UTILIS IGITUR] UTILIS EST N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> DUBITETUR DE ALIQUO] DE ALIQUO DUBITETUR N

<sup>5</sup> FACTUS] *om.* N, *sed cf. app.*

<sup>6</sup> FACTUS] *om.* N, *sed cf. app.*

Ostendit vero has esse liberi partes, scilicet species, hoc modo: ATQUE<sup>1</sup> HAE PARTES ERANT DANDAE LIBERTATIS. Quasi dicat: Aptum dedi exemplum de partibus generis quae positae suum ponunt totum, nam istae sunt partes huius generis quod est libertas. »Libertas« et »liber« pro eodem accipe.

Ostendit quoque, ut proposuit, quomodo una continui totius pars suum confirmet totum quaestionis praemittens materiam hoc modo: SI DUBITETUR »AN SIT DOMUS QUOD EMINUS PROSPICITUR« (II.7.13) Vere illud non est domus quia non habet parietetem. Habilius inter voces, ut libuerit, hanc dispone consequentiam, eius enim materiam tibi posuit. Illud vero VEL huic quaestioni praepositum copulativum habe; RURSUS vero est illius signum quod dixit: »pars quaelibet facit firmitatem argumentationis«.<sup>2</sup>

Ostenso<sup>3</sup> illis partibus quae per se vel subici vel praedicari possunt hoc nomen quod est »totum«<sup>4</sup> et hoc quod est »pars« competere posse, illas etiam partes quae tantum determinationes subiecti fiunt vel praedicati his nominibus, »toto« videlicet ac »parte«, designari demonstrare intendit hoc modo: LICET AUTEM NON SOLUM IN SUBSTANTIIS etc. (II.7.14) Substantias vocat voces illas quae per se in propositionibus aliis subiacere possunt. Quod autem dicit: IN MODO TOTUM PARTESQUE RESPICERE idem est ac si diceret: illae voces quae significantur ab hoc voce quae est »modus«, scilicet adverbiales, vel ita: illae voces quae consignant eodem modo cum hac voce quae est »modus« et quae similiter consignant cum »tempus« eundem significationis modum retinentes, et eodem modo cum QUANTITATIBUS et LOCO, recipiunt haec ad sui designationem vocabula, »totum« videlicet ac »pars«.

Probat vero quod »totum« consignificat cum hac voce quae est »tempus« eodem modo: ID ENIM QUOD DICIMUS »SEMPER« IN TEMPORE TOTUM<sup>5</sup> EST. (II.7.15) Ac si dicat: Vere TOTUM significat IN TEMPORE, nam ID TOTUM cuius significatum habes ad manum, scilicet SEMPER, significat IN TEMPORE, id est consignificat cum »tempus«. A parte totius.

Probat quoque quod »partes« consignant cum »tempus« hoc modo: ID QUOD DICIMUS »ALIQUANDO« IN TEMPORE PARS.<sup>6</sup> Quod est: Vere PARS<sup>7</sup> significa[[n]]t IN TEMPORE, nam haec PARS cuius significatum est ALIQUANDO

---

<sup>1</sup> ATQUE] ATQUI P

<sup>2</sup> II.7.12

<sup>3</sup> ostenso] ostensis a.c. P

<sup>4</sup> totum] toto P a.c.

<sup>5</sup> TOTUM] P(ARS) P

<sup>6</sup> PARS] PARS EST N, sed cf. app.

<sup>7</sup> pars] partes P a.c.

significat IN TEMPORE. A parte partis. Nota quod »tempus« et »semper« pares sint in significatione voces.

Exemplificato vero de temporalibus vocibus quod<sup>1</sup> totum et partes dicantur de modalibus atque localibus exempla subiungit: RURSUS SI SIMPLICITER ALIQUID PROPONAMUS, IN MODO TOTUM EST (II.7.16/1189B) Hoc RURSUS est signum harum vocum, scilicet »totum« et »partes«. Quod est: Si cum aliquo subiecto vel praedicato hanc ponimus determinationem quae est SIMPLICITER, TOTUM facimus in illa voce significare, videlicet SIMPLICITER, quae consignificat cum MODO.

SI CUM ADIECTIONE ALIQUA ALIQUID PROPONAMUS [26<sup>v</sup>] PARS FIT IN MODO.<sup>2</sup> Id est si aliquam adiectionem minus quam »simpliciter« significantem et modum illius vocis quae est »modus« in significatione retinentem alicui subiecto vel praedicato termino proponimus, illam ab hac voce quae est PARS significari dicimus.

ITEM SI OMNIA DICAMUS IN QUANTITATE, TOTUM DIXIMUS. Istud ITEM est »totius« et »partis« signum. Quod est: Si hanc vocem quae est OMNIA alicui voci adiungimus ad consignificandum quae eodem modo ut voces quantitativae significat, illam dicimus ab hac voce quae est TOTUM designari. Cuius vocis, scilicet OMNIA, significationi quantitatis, ut dictum est, modum retinenti si aliquid excerpis, vocem illud aliquid quantitativo modo significantem ad sui designationem hoc nomen quod est »pars« recipere dicis; hoc vero est quod aequipollenter adiungit: SI ALIQUID QUANTITATI<sup>3</sup> EXCERPIMUS,<sup>4</sup> QUANTITATIS PONIMUS PARTEM.

EODEM MODO in vocibus ad loci metam significantibus totum repperies et partem. Nam UBIQUE quod significat ut »locus« cui par est in significatione recipit hoc nomen quod est TOTUM; ALICUBI vero designatur a PARS.

HORUM AUTEM OMNIUM HAEC COMMUNITER DENTUR EXEMPLA. (II.7.17) Quasi dicat: Quamquam manifestum sit quod omnes istae determinationes »totum« et »pars« ad designationem sui recipiant, earum tamen exempla quibus clarescet qualiter inter se consequentiam faciant subdantur.

A TOTO AD PARTEM SECUNDUM TEMPUS (II.7.18) Id est: A totali determinatione ad partialem sequendo in significatione TEMPUS huiusmodi fit consequentia: »SI DEUS SEMPER EST, ET NUNC EST«. SEMPER enim significatur a »totum«, ut dictum est, et NUNC a »pars«. Bene dictum est SEMPER

<sup>1</sup> quod] *lectio incerta*

<sup>2</sup> FIT IN MODO] FACIMUS P

<sup>3</sup> QUANTITATI] QUANTITATIS N, *sed cf. app.*

<sup>4</sup> EXCERPIMUS] EXCERPSIMUS N

significare SECUNDUM TEMPUS cum quicquid significatur<sup>1</sup> a TEMPUS et a SEMPER significari valeat, et e converso. Nam quemadmodum TEMPUS omnia significat quae a suis divisivis differentiis, scilicet »praeteritum« »praesens« »futurum«, speciebusque, scilicet »dies« »nox« »hora« »mensis« »annus« significantur, ita SEMPER omnia illarum differentiarum significata specierumque quae sunt omnes res significare ne dubites. Illa vero consequentia quae dicit: »SI DEUS SEMPER EST, ET NUNC EST« hoc modo potest exponi: Si DEUS est in omnibus rebus a »dies« et »nox« aliisque temporis speciebus designatis, et in his rebus est quae ab hac voce quae est NUNC designantur. Quoniam autem temporis mentionem paritatis gratia ostensionis eius cum SEMPER fecimus, eius quasi descriptionem SEMPER etiam quodammodo competentem subiungamus; est enim haec: »Tempus est certa dimensio morae mutabilium rerum et motus«. »Quasi« ideo dixi quia nulla definitio vel descriptio suum significat definitum vel descriptum. Ista autem voces quae descriptio temporis esse a quibusdam videntur ipsum tempus et omnes eius species significant. Quapropter non descriptio, sed quasi quaedam assignatio esse dicentur illi similis quae dicit: »Animal genus est«. Illas autem temporis species morantium rerum certam appellat dimensionem quia per nomina ab eis derivata eis quidem aequipollentia, ut »diurnum« »nocturnum« et his similia, res ipsas ab illis significata<s> speciebus dimetitur. Dicimus enim: »Nocturna res agitur« vel »Ista a... est annua«. Hoc autem est temporale, illud vero sempiternum. Quia vero haec quae de tempore dicimus non multum firma esse putamus, ad sequentia transeamus exempla hic metam de tempore ponentes.

A PARTE AD TOTUM SECUNDUM MODUM (11.7.19) Id est sequendo hanc vocem in significatione quae est »modus«. »SI ANIMA ALIQUO MODO MOVETUR, ET SIMPLICITER MOVETUR«. Quod dicit ALIQUO MODO pro eodem accipe ac si diceret »irascibiliter«, quod in assumptione hac notare potes ubi dicit: »MOVETUR AUTEM, CUM IRASCITUR«. Igitur SIMPLICITER etiam MOVETUR, quod SIMPLICITER est quantum ad irascibiliter universale, quod notare potes ubi dicit UNIVERSALITER; significat enim illud etiam quod »gaudenter« »furibunde«. Animam sine plica dicit moveri quia non ita movetur ut corpus.

Rursus autem a totali voce ad partiales in modo quantitatis fit huiusmodi consequentia: »SI VERUS EST APOLLO IN OMNIBUS<sup>2</sup> VATES, et in quibusdam; et hoc est quod aequipollenter dicit: VERUM ERAT<sup>3</sup> PYRRHUM ROMANOS SUPERARE. (11.7.20)

<sup>1</sup> significatur] significetur P a.c.

<sup>2</sup> APOLLO IN OMNIBUS] IN OMNIBUS APOLLO N, sed cf. app.

<sup>3</sup> ERAT] ERIT N, sed cf. app.

RURSUS A TOTO AD PARTES<sup>1</sup> in modo localium vocum haec datur consequentia: »SI DEUS UBIQUE EST, ET HIC EST«. (II.7.21)

SEQUITUR LOCUS QUI A CAUSIS NUNCUPATUR. (II.7.22/1189c)<sup>2</sup> Quasi dicat: Quia in superiorum divisione locorum consequentium substantiam posuimus hanc differentiam quae est »a causis« post differentiam »a partibus«, ideo post locos a partibus expeditos SEQUITUR explicatio loci illius QUI NUNCUPATUR A CAUSIS, id est ostensio illius communis terminis QUI NUNCUPATUR locus A CAUSIS, id est propter causas, vel A CAUSIS, id est a speciebus causae, scilicet ab efficiente, ab materiali, a finali, a formali, quae sunt species causae. Vel SEQUITUR LOCUS QUI EST A CAUSIS per simile dicitur. Quemadmodum si promisisses aliquid alicui te daturum sequeretur te donec promissum impleres, ita sequitur Boethium LOCUS QUI NUNCUPATUR A CAUSIS expetens ut de eo tractet quemadmodum de praemissis secundum propositum.

SUNT VERO PLURES CAUSAE QUAE<sup>3</sup> VEL <etc.> Quasi dicat: Quamvis »locus« ista una vox conveniat quibusdam communibus terminis, tamen plures sunt causae quibus ea competit. Hanc continuationem habes per VERO. Quod si pro »enim« legas, continuabis: A[D] CAUSIS, praepositum nomen enim pluraliter<sup>4</sup> positum est.

QUAE VEL PRINCIPIUM MOTUS PRAESTANT<sup>5</sup> ATQUE EFFICIUNT. VEL non accipias hic disiunctivum, sed copulativum. Quasi dicat: Et illae voces dicuntur causae quae tales sunt et illae et illae. In primis ponit descriptionem efficientis causae, post ea materialis, deinde finalis, deinceps formalis. Efficientis descriptio talis est: [28'] »Efficiens causa est VEL QUAE PRINCIPIUM MOTUS PRAESTANT<sup>6</sup> ATQUE EFFICIUNT«. Ut si dicas: »Sol praesto est, igitur aer lucidus est«, sol est efficiens causa lucidi in aere. PRINCIPIUM MOTUS vocabis vel vocem hanc quae est »praesto« quam »sol« praestat significato suo; quae vox, id est »praesto«, mox ut »soli« coniuncta est aerem movet ab eo nomine quo prius designabatur. Vel hanc vocem quae est »lucidus« [[fere II voces erasae]] PRINCIPIUM MOTUS dicimus quam praestat sol aeri, quae statim aerem movet ab obscuro cum quo prius erat, atque hoc totum facit sol utpote causa. Praemissam habes descriptionem ubi dicitur: QUAE VEL PRINCIPIUM MOTUS

<sup>1</sup> PARTES] PARTEM N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> A CAUSIS NUNCUPATUR] NUNCUPATUR A CAUSIS N et P *infra*

<sup>3</sup> CAUSAE QUAE] CAUSAE, ID EST QUAE N, *sed cf. app*

<sup>4</sup> enim pluraliter] *lectio incerta*

<sup>5</sup> MOTUS PRAESTANT] PRAESTANT MOTUS N, *sed cf. app.*

<sup>6</sup> MOTUS PRAESTANT] PRAESTANT MOTUS N, *sed cf. app.*

PRAESTANT<sup>1</sup> ATQUE EFFICIUNT. Cui aequipollet littera illa quam praemisit superius ubi dicit: »Efficiens quidem causa est quae movet atque operatur ut aliquid explicetur.«<sup>2</sup>

Sequitur assignatio quaedam materialis causae hoc modo: VEL SPECIERUM FORMAS SUBIECTAE SUSCIPIUNT. Quasi dicat: Materialis causa est vox illa quae subiecta ut fundamentum suscipit FORMAS SPECIERUM, id est differentiales voces quae cum generali constituunt species. Subiectas appellat omnes voces generales quae subiectae dicuntur respectu formarum, id est differentialium vocom, quas suscipiunt vel in sui divisione vel in specierum constitutione. Notandum tamen voces illas subiectum posse vocari quae accidentium susceptibles<sup>3</sup> sunt, ut »corpus« coloris »iustitia« utilitatis, quae videlicet accidentia nequaquam quidem formae sunt specierum; quod ideo praemissa in assignatione tacuit quia ostenso quod generales voces differentialium subiecta sint palam est illas etiam voces subiecta posse vocari quae accidentium susceptivae sunt atque ita causas esse. Notandum vero quod assignatio haec illi tantum materiali causae convenit in qua fit; superius namque ita divisit: »Materia vero« est »in qua fit aliquid vel ex qua fit.«<sup>4</sup> Et notandum quod exemplum suppositum, quod est: »Utrum Mauri habeant arma?« etc., ad eam pertinet tantum ex qua fit; reliquam vero quam descripsit, id est in qua fit, non exemplificavit. Huius igitur tale sit exemplum: »Vere rationale non est, quia animal vel anima non est« »Vere coloratum non est, quia corpus non est« »Vere utilitas medicinalis non est, quia medicina non est«. A causa materiali in qua fit.

Sequitur assignatio finalis<sup>5</sup> causae hoc modo: VEL PROPTER EAS ALIQUID FIT. Quod est: Voces illae dicuntur finales causae PROPTER <quas> habendas ALIQUID FIT, ut si satagat quis fieri iustus ut postea fiat beatus vel si belleetur ut victor dicatur. In hac autem causarum specie in rebus maxime videtur esse cum dicit PROPTER EAS ALIQUID FIT; cum enim dicit PROPTER EAS non voces quae causae sunt, sed res videtur assumere. Nos autem utrumque volumus accipi. Ideo enim panem vel nummum pauperi tribuis ut beatitudinem, id est Deum, adipisci merearis. Itaque in vocibus. Ideo enim diligis vocari iustus ut per hoc tandem voceris beatus. Nec nostrum est quod dicimus, compellimur enim ab auctoribus ut inter voces necessitatem hanc consideremus. Habes enim quod omnis propositio vox est, igitur et partes propositionis, praedicatus videlicet atque subiectus vel antecedens et consequens, quare »iustum esse« et

<sup>1</sup> MOTUS PRAESTANT] PRAESTANT MOTUS N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> II.7.4/1188A

<sup>3</sup> susceptibles] susceptibilia P

<sup>4</sup> II.7.4/1188A

<sup>5</sup> finalis] similis P

»beatum esse« voces esse confiteri necesse est et alteram in consequentia propter alteram fieri.

Notandum quoque quod in hac causarum specie causa et effectus non videntur simul esse natura; effectus enim prius esse vide[[n]]tur, deinde causa, ut bellum prius quam victoria et iustum esse prius quam beatum. Interius tamen perscrutantibus liquet nequaquam alterum altero prius esse; dum enim bellatur miles, aut vincit aut vincitur; si vincit, eodem tempore »bellans« et »victor« eum significant, quorum alterum effectus, alterum vero causa dicitur. Eodem quoque modo et in ceteris, ut si vere quis iustus est, procul dubio iam beatus est; namque et in hac vita est veris requies data sanctis.

Sequitur assignatio formalis causae hoc modo: VEL QUAE CUIUSLIBET FORMA EST. Quod est: Communis ille terminus dicitur formalis causa QUAE CUIUSLIBET FORMA EST, id est qui differentia est alicuius generalis vocis, ut »rationalitas« vel »rationale« »animalis«; format enim differentia quaelibet genus suum in speciem. Quae causa sic facit fidem: »Vere asinus non utitur ratione, quia non est rationalis«. A causa formali. Sunt etiam qui accidentia naturalia formas appellent et ab eis argumenta ducant hoc modo: »Vere asinus non ridet, quia risibilitas in eo non est« »Vere oculus non videt, quia visio in eo non est«. Quod autem accidentia quaedam formae dicuntur in Libro divisionum habes ubi dicitur: »Quare forma quaedam intelligitur esse privatio«,<sup>1</sup> quamvis eo respectu hoc quibusdam dictum esse videatur quo privatio in generis divisione ponitur, non eo quo velut accidens accipitur.

ARGUMENTUM IGITUR AB EFFICIENTE CAUSA etc. (II.7.23) Quasi dicat: Quandoquidem locus argumenti ab omni causa est, IGITUR est AB EFFICIENTE CAUSA. A toto ut genus.

Sequitur ostensio argumentationis ab efficiente causa hoc modo: CONGREGATIO HOMINUM etc. Huius quaestio haec est: »Utrum iustitia sit naturalis?«. »Iustitia« hic signat leges et publica praecepta, »natura« autem Deum signat, CONGREGATIO vero significat homines iuste viventes, sicut in Rhetoricis<sup>2</sup> habes. Erant enim homines quondam [28<sup>v</sup>] in silvis soli atque ferino more viventes quos Orfeus atque alii sapientes in unum ad bene vivendum congregaverat, et leges atque praecepta quibus honeste viverent eis instituit, quae deinceps hominum congregatio servavit. Tale est igitur ac si quaeratur: »Utrum leges impleantur per naturam?«; »Si congregatio hominum fit per naturam, et iustitia fit per naturam; sed hoc est, illud igitur«. Antecedens habes/ ubi dicitur: CONGREGATIO HOMINUM NATURALIS EST, consequens et conclusionem habes ubi dicitur: IUSTITIA IGITUR NATURALIS EST, medius

<sup>1</sup> Boeth. *Divis.* 883A

<sup>2</sup> cf. Cic. *De Inv.* 1.2.2 et praesertim M. Victorinus *In De Inv.* 164.11 (ed. Halm)



autem versiculus qui quasi assumptio esse videtur assignatio loci est. Si quis autem dicat syllogismum hunc bene et categorice in libro esse dispositum, noverit contra se Boethium esse. Omnis enim modificatus syllogismus vel primae vel secundae vel tertiae figurae est. Primae autem figurae syllogismus communem terminum de subiecto quaestionis praedicat et subicit praedicato, secundae vero de utroque quaestionis termino praedicat, tertiae vero utrique subicit; quod hic minime repperies. Materiam itaque argumentandi et loci assignationem dices esse.

Est et aliud per quod cognoscitur categoricus non esse syllogismus. Aiunt enim quidam omnem argumentationem quae a causa fit in effectum vel ab effectu in causam hypothetice tantum debere disponi.

QUAESTIO DE ACCIDENTE. Notandum hic quod accidens accidenti accidat. Accidit enim naturalitas<sup>1</sup> iustitiae quae homini accidit. Sciendum tamen iustitiam hic non debere considerari ut accidens, sed tantum ut speciem. Sic et in huiusmodi: QUORUM EFFICIENTES CAUSAE etc. Non est haec maxima propositio, sed materia maximae et ostensio quomodo serviat argumento: per hoc quod dicit QUORUM EFFICIENTES CAUSAE ostendit quae sit maxima, per hoc quod dicit NATURALES ostendit maximam praemisso servire syllogismo. Est autem una maxima propositio omnibus a causa syllogismis quae diverso modo diversis servit, ista videlicet »Ex causis effecta perpende«, cuius expositiones sunt et haec quae dicta est et aliae quae per supposita dantur exempla, quas non esse maximas ex eo liquet quod quaestionis terminus inest.

LOCUS AB EFFICIENTIBUS. Quasi dicat: Communis terminus qui in hac argumentatione locus est comprehenditur in numero illorum qui efficientes dicuntur. QUOD ENIM CAUSA<sup>2</sup> etc. Quasi dicat: Merito hunc et consimiles terminos efficientes vocavi quia ID QUOD CAUSA EST UNIUSCUIUSQUE rei EFFICIT EAM REM CUIUS CAUSA EST. A definitione vel a toto.

Sequitur ostensio argumentationis a materiali causa hoc modo: RURSUS SI QUIS MAUROS (II.7.24) FERRUM hic accipe materiale causam non eam in qua fit, sed ex qua fit. ARMA vero, id est lanceam et ensem et alia huiusmodi, effectum esse dices. De quo si quaeritur utrum Mauri habeant arma, id est utrum »habens arma« praedicetur de hac voce quae est »Maurus«, non, quia non praedicatur inde »habens ferrum«. In huiusmodi quaestione versatur locus non circa praedicatum, sed circa determinationem praedicati sicut saepissime invenitur. Hanc huic maximam dat propositionem: UBI MATERIA DEEST etc. Haec nullum habet terminorum quaestionis sicut illa superior et ex hoc quodammodo maxima esse videtur cum nomen loci quod est »materia«, id est

<sup>1</sup> naturalitas] utilitas P

<sup>2</sup> CAUSA] UNIUSCUIUSQUE CAUSA N, sed cf. app.

»causa«, infra se teneat, quod proprium est omnis maximae propositionis, ex eo tamen perpenditur non esse maxima quia caret principali nomine loci, id est »causa«, ideoque maximae expositionem dicimus esse, illius videlicet »Ex causis effecta perpende«, quae praemissae servit argumentationi per hanc vocem quae est »materia«.

UTRUMQUE VERO etc. Quasi dicat: Quamvis ego dixerim superius »locus ab efficientibus« et hic dixerim »locus a materia« et neutri addiderim hanc vocem quae est »causa«, utrumque tamen dicitur causa.

AEQUE ENIM etc. Operantem vocat quemlibet artificem, ACTUM vero OPERANTIS appellat vocem illam quam creat artifex operando, utpote carpentarius componendo ligna aut lapides facit »domum« hanc vocem. Illud vero notandum quod generalis vox quamvis sit materialis causa in qua fit, aliter tamen probat ut genus, aliter ut causa. Probat ut genus hoc modo: »Utrum omnis homo sit substantia?«; »Omnis homo est animal et omne animal est substantia, omnis igitur homo substantia est«. Probat ut causa ita: »Utrum homo existat?«; »Si animal non existit, nec homo; sed hoc est, ergo illud«. Assignatio loci haec est: »quia homo fit ex animali«, praecedentis autem syllogismi loci assignatio est: »quia omne animal est substantia«. Ex diversis itaque assignationibus perpenditur eadem vox diversis probare modis, et ex hoc etiam quod quando ut genus probat, assumit universales determinationes, id est »omnia« et »nullum«, et disponitur tam categorice quam hypothetice. Quando vero ut causa probat hypothetice tantum disponitur et raro aut numquam praedictas suscipit determinationes.

Sequitur ostensio argumentationis a finali causa hoc modo: SI BEATUM ESSE BONUM EST etc. (II.7.25/1189D) De qua nihil aliud quam supra diximus dicendum esse putamus.

CUIUS FINIS BONUS EST etc. Qua ratione praedicta illa propositio quae maxima dicebatur in argumento ab efficiente causa non esse maxima ostensa est, illa eadem ratione inter maximas haec esse refutatur; habet enim alterum ex terminis quaestionis nec continet nomen loci, id est »causam«. Materiam itaque maximae continet propositionis et unde praemissae serviat argumentationi. Est autem maxima »Ex causis effecta perpende«, quae diversis argumentis diversis expositionibus [29] servit, quarum haec una est quae praemissa est.

Sequitur ostensio argumenti a forma hoc modo: NON POTUISSE VOLARE DAEDALUM etc. (II.7.26) Naturalem formam appellat hanc vocem quae est »volatilitas« quae substantialis est avi, sicut homini rationalitas; quae quia non convenit Daedalo, ideo non convenit ei »potens volare« ista vox.

TANTUM QUEMQUE POSSE etc. Non est haec maxima propositio, sed maximae propositionis assignatio; quod enim in aliis diximus, idem in hac consideramus.

Est autem maxima »Ex causis effecta perpende«, quae diversis diverso modo servit argumentis.

Sciendum vero Boethium sequendo Themistium diversas has unius maximae propositionis expositiones dedisse, ideo tamen non perfecte maximas fecisse, ut secundum Ciceronem ad unam omnes maximam reducerentur.

Universaliter de causis sciendum est quod remotae sua secum remonent effecta, positae autem ponunt, sed non omnes. Quod de singulis exemplificando videndum est. Primum igitur de efficienti hoc modo: »Si sol praesto est, aer lucidus est«, item negando: »Si sol praesto non est, aer lucidus non est«. Item de efficienti: »Si congregatio hominum naturalis est, et iustitia naturalis est«, et removendo: »Si congregatio hominum naturalis non est, et iustitia naturalis non est«. Universaliter ergo dicendum quod omnis efficiens causa et posita ponit effectum suum et remota removet. Videndum est tamen ne quis nos sophistice impugnet dicens carpentarium rem ipsam causam esse domus efficientem et fabrum cultelli sicque concludat falsum esse quod dictum est, videlicet quod omnis causa efficiens posita ponat effectum suum et negata neget, quia posito alicubi carpentario non ponitur ibidem domus et posito alicubi fabro non ponitur cultellus. Nos autem libri huius propositum considerantes nullam esse dicemus huiusmodi obiectionem nec quicquam nostrae sententiae obesse. Nos enim hic illas tantummodo causas accipimus quae sedes argumenti sunt et locus, quas voces esse considerare necesse est; praedicatur enim in propositione vel subicitur. Sicut ergo aequivoce principium et locus dicitur genus, nec tamen concluditur ut de pluribus differentiis specie in eo quod quid sit praedicetur, sic concedemus quamlibet rem aequivoce causam vocari, locis tamen dialecticis nullatenus annumerari.

Est et aliud in supra positis considerandum exemplis, efficientium videlicet diversitas causarum. In prima enim consequentia quattuor termini sunt, in secunda autem tres. Quod, videlicet quattuor in eadem consequentia terminos, rare invenies.

Est et aliud considerandum, videlicet quod in quadam consequentia quae fit ab efficienti causa, in ea scilicet ubi tres tantum termini sunt, idem accidens effecto quod causae coniunctum est, ut »Si congregatio hominum naturalis est, et iustitia naturalis est«. In quadam vero consequentia aliam causa efficiens, aliam quidem eius effectum suscipit vocem, ut »Si sol praesto est, lucidus est aer« et »Si terra obicitur, luna deficit« et »Si ignis adest, exurit aliquid«, quae consequentia nequaquam in aliis repperitur causis. In corruptionibus autem consimilis invenitur. Quae diversae consequentiae subdivisionem innuunt efficientis causae. Dicemus ergo: Causarum efficientium aliae sua vi efficiunt, aliae vero per aliud, quam subdivisionem in hypotheticis invenies syllogismis. Nec inculpandus est Boethius quod eam tacuit, habes enim in prologo libri huius: »et

nunc quidem non in singulis immorabimur, sed de tota divisione communiter disseremus<sup>1</sup>. Illae autem causae sua vi efficiunt quae tres terminos in consequentiis habent, illae vero per aliud quae quattuor/, ut superius ostensum est.

Quoniam ergo de efficienti diximus, de materiali causa subdamus. Illud quidem de materiali sicut universaliter de omni causa sciendum reor, quod remota ab aliquo secum suum removet effectum, ut »Si animal non sit, non erit rationale neque irrationale«, quae fundantur in animali utpote differentiae in genere, et »Si non sit corpus, non erit album neque nigrum nec medius color«, quae fundantur in corpore utpote accidentia in subiecto, et »Si non sit ferrum, non erit lancea«. Habes ergo quod negata materialis causa negat effectum suum universaliter, posita autem non ponit universaliter. Nam posito ferro non ponitur lancea neque aliud huiusmodi et posito corpore non determinate ponitur album vel nigrum vel medium et posito animali non determinate ponitur rationale vel irrationale. Sciendum tamen posse inferri determinate effecta quaedam positis quibusdam materialibus causis, ut posito Aethiope inferes nigrum esse et posito cygno inferes album et posito corpore inferes coloratum esse et posito homine inferes risibile esse, sed haec tamen dicimus non inferri ex eo quod effecta sint eorum quibus positae inferuntur, sed eo respectu quo propria eorum esse dicuntur. Si enim quaeratur de Socrate utrum sit risibilis et probetur ita: »Si est homo, et risibilis«, non dicitur consequentia haec inter causam et effectum esse, sed inter paria vel inter speciem et proprium; proprii enim proprium est sequi speciem cuius proprium est. Patet ergo quod nulla causa materialis posita ponit effectum suum determinate, nam si determinate aliquid ponat, utpote corpus coloratum, non iam istud causa neque illud effectum dicitur, sed ut dictum est paria vel species et proprium dicuntur.

Illud vero notandum quod, ut supra dictum est, materialium causarum aliae sunt in quibus aliquid fit et aliae ex quibus aliquid fit. Quod quia superius expositum est praetereundum puto.

Illud quoque sciendum quod quaedam voces per se, quaedam non per se, sed per aliud materiales causae dicuntur. Illae vero quae per se materiae sunt sunt ut »substantia« »corpus«, haec enim non per aliud sed per se accidentium susceptibilia sunt – accidentia dico ut album, nigrum etc. – homo autem et asinus et huiusmodi cum dicantur alba vel nigra, non per se sed per aliud hoc habent, videlicet per corpus; corpori enim haec principaliter accidunt, gratia autem corporis accidunt et homini et asino et aliis huiusmodi. Ex hoc autem perpendimus id quia destructo corpore destruitur omnis color; omnis enim color in corpore est. Destructo autem homine vel asino non destruitur color, et sicut

---

<sup>1</sup> I.1.4/1173C

homini gratia corporis accidit album vel nigrum, ita quoque corpori gratia hominis accidit grammaticum vel risibile. Sic in aliis. Habes ergo quod materiales causae, quaedam per se, quaedam per aliud, effectorum materiae sunt. Et ad pauca restringamus. Dicere possumus quod omnis vox quae accidentium materia est, nisi sint sibi propria, ut homini navigare atque numerare, gratia corporeae tantum vel incorporeae tantum substantiae ipsa suscipiat, vel gratia substantiae indeterminate acceptae.

8] [29<sup>v</sup>] Locorum omnium terminis quaestionis inhaerentium speculatione Themistiana plenarie explicata, de locis extrinsecus ipsi quaestioni positus ad hunc modum tractare intendit: EXPEDITIS IGITUR LOCIS etc. (II.8.1/1190B) A simili. Quod est: Quia locos inhaerentes expeditimus, ergo locos extrinsecus positos expedire debemus cum nostrum propositum de utrisque nos tractare compellat. Licet autem huiusmodi extrinsecus dicantur loci et quasi ad quaestionis terminos nullatenus attinentes, tamen sunt vel ipsius quaestionis iudicium vel eiusdem terminis similes vel maiores eis vel minores vel proportionales vel oppositi vel transsumptionis loci; quod habes ubi dicit: HI VERO SUNT VEL EX REI IUDICIO etc. (II.8.2) EX REI, id est quaestonis/, IUDICIO et »ab auctoritate« pro eodem habe.

Sequitur: ET ILLE LOCUS etc. (II.8.3/1190C)<sup>1</sup> Quod est: Hoc habet ille locus qui dicitur iudicium quaestionis quod dicatur extrinsecus et hoc etiam quod sit huiusmodi UT SI DICAMUS QUOD OMNES IUDICANT etc.<sup>2</sup> Ut vero ostendat qualiter huiusmodi locus fidem rei faciat, eiusdem rei materiam praemittit sic dicens: HUIUS EXEMPLUM EST »CAELUM VOLUBILE ESSE«,<sup>3</sup> QUOD ITA ESSE conceditur quia SAPIENTES ATQUE ASTROLOGI<sup>4</sup> sic IUDICAVERUNT. Haec oratio, scilicet »quia ITA SAPIENTES IUDICAVERUNT«, non dicitur locus ex rei iudicio, sed ipsae illorum sapientum probationes vel regulae per hanc orationem repraesentatae. Haec QUAESTIO est DE ACCIDENTI. Quaeritur enim an volubile caelo ut accidens inhaereat. MAXIMA PROPOSITIO: »QUOD OMNIBUS etc.« Haec est bene maxima quia nomen loci, quod est DOCTIS, in se continet.

Sequitur quoque loci a similibus ostensio quaestionis etiam materia ut superius praecedente hoc modo: SI DUBITETUR AN HOMINIS etc. (II.8.4) Quam quaestionem hac meta astruere debes: »Utrum solus homo sit bipes?«, quod nomen, scilicet »solus« habes per hoc quod dicit PROPRIUM. Ideo enim huius quaestionis materiam in libro esse dicimus ne si dixerimus illam quaestionem

<sup>1</sup> ILLE LOCUS] ILLE QUIDEM LOCUS N, *sed cf. app.*

<sup>2</sup> UT SI DICAMUS QUOD OMNES IUDICANT] UT ID DICAMUS ESSE QUOD VEL OMNES IUDICANT N

<sup>3</sup> VOLUBILE ESSE] ESSE VOLUBILE N

<sup>4</sup> ASTROLOGI] IN ASTROLOGIA N, *sed cf. app.*

esse, fateri compellamur propositionem ex qua ipsa descendit ex significante et significato constare. Progredere: »Si solus equus non est quadrupes, nec solus homo bipes«. Inter similia. Assignatio huius consequentiae est ubi dicit: SIMILITER INEST EQUO QUADRUPES, UT HOMINI BIPES; quemadmodum enim quadrupes inest omni equo et semper, sed non soli, ita bipes inest omni homini, sed non soli. Bipes et quadrupes dicuntur similia propter qualitativam vocem quae est »inherentia« vel »idem modus inhaerendi« utrisque adaptatam. Assumptionis atque conclusionis materiam habes ubi dicit: NON EST AUTEM EQUI QUADRUPES PROPRIUM, NON IGITUR EST<sup>1</sup> HOMINIS PROPRIUM BIPES. Potest quoque dici quod homo et equus sunt similes, in hoc scilicet quod has voces qualitativas quae sunt »bipes« et »quadrupes« ad sui designationem recipiunt, quibus convenit similis inhaerendi modus. Maxima quam subdit propositio est aequipollens huic quae dicit: »De similibus idem iudicium«. LOCUS A SIMILIBUS. Quod est: Hic communis terminus qui est »quadrupes« dicitur locus quia unum est ex illis vocibus quae dicuntur similes.

HIC VERO locus etc. (II.8.5/1190D) Quamvis unum locum tantum de loco a simili dedissem, tamen HIC, id est talis, LOCUS a simili DIVIDITUR, id est vadit in duo, nam HAEC, id est talis, SIMILITUDO CONSISTIT, id est comprehenditur, AUT IN qualitativa voce AUT IN quantitativa; secundum enim qualitatem aliquam dicimur similes et dissimiles. Dico, quia »similitudo« haec vox consistit in quantitate. Quod est dicere: Secundum quantitativam vocem dicimur similes, immo(?) rectiori vocabulo paritas nuncupatur in quantitate, id est pares dicimur propter quantitativam vocem, id est aequales. Verbi gratia cum [vel] »Si ignis calidus est, caelum rotundum est«, ex hoc antecedenti non necessario sequitur illud consequens, sed merito talis fit consequentia ut ostendantur hae voces, scilicet »ignis« et »caelum«, esse pares in hac voce quantitativa quae est »semper« vel »sempiternum«, sicut enim ignis semper calet, ita semper caelum est rotundum.

RURSUS AB EO loco qui dicitur MAIUS<sup>2</sup> ita: »Utrum animal sit potens moveri ex se?« Huius quaestionis materiam habes ubi dicitur: AN SIT, ANIMALIS DEFINITIO QUOD EX SE MOVERI POSSIT? (II.8.6). Eandem quam superius causam dedimus de commutatione quaestionis in hac etiam damus, scilicet ne de significantibus et significatis fieret, DEFINITIO enim haec vox significat has voces POTENS MOVERI EX SE, quae voces secundum quosdam definire animal videbantur. Prosequare: »Si non vivit naturaliter, hoc est si non per se vivit (quod repugnat cum ab anima hoc habeat), nec est potens moveri ex se; sed non vivit per se, ergo non est potens moveri ex se«. Huius assumptionis ac

<sup>1</sup> IGITUR EST] EST IGITUR N

<sup>2</sup> MAIUS] MAGIS N, sed cf. app.

conclusionis materiam habes in libro dispositam ubi dicitur: NON EST <AUTEM HAEC> DEFINITIO ANIMALIS QUOD NATURALITER VIVAT NEC EA QUIDEM QUAE MINUS VIDETUR ESSE DEFINITIO etc. Consequentiae vero assignationem praemittit ubi dicitur: MAGIS OPORTET ANIMALIS ESSE<sup>1</sup> DEFINITIONEM etc. Nota causam quare hanc vocem |30'| <\*\*\*>

---

<sup>1</sup> ANIMALIS ESSE] ESSE ANIMALIS N, *sed cf. app.*

## APPENDIX

51 [27] Natura propositionis ut proposuit diligenter tractata suam exequitur promissionem quaestionis partes principales ac secundarias sive species \exponendo/ [o] hoc modo incipiens: QUAESTIO VERO EST DUBITABILIS PROPOSITIO (1.5.1/1176D) Quod sic continuabis: Propositio est oratio significans verum vel falsum, sed quaestio non dicitur propositio nisi cum hac determinatione quae est »dubitabilis«. Nam quemadmodum cadaver humanum non dicitur homo nisi cum hoc adiecto in quo inest oppositio quae est »mortuus«, ita quaestio non dicitur propositio nisi cum hoc augmento opposito quod est »dubitabilis«. Non autem »propositio« sibi competere negatur sine aliquo adiecto [[in quo insit aliqua oppositio]] secundum omnem significationem ipsius propositionis, sed secundum illam tantum significationem qua superius ipsam descripsimus propositionem; plura enim alia »propositio« significare ostenditur neque verum neque falsum significantia. Significat namque »propositio« idem quod »superpositio« vel »brevis locutio« et fortasse alia. Si vero hoc nomen per se quaestioni convenire Boethium in hoc loco negasse dixeris, eundem sibi contrarium per ea quae subsequenter ponit necessario fateberis; dicet enim quod quaestio thesis vocatur propositio vel propositum. Sed cum plura ut dictum est »propositio« significare ostendatur, hic stricte accepta »thesi« aequipollere dicitur idemque quod »superpositio« vel »antepositio« significare.

Sequitur: IN QUA NECESSE EST EADEM OMNIA CONSIDERARE QUAEE DUDUM IN PROPOSITIONE PRAEDIXIMUS. Quod est: Illam dico quaestionem in qua omnia considerare oportet quae dudum, id est in illa divisione quam mediam superius dedimus, in propositione praediximus, id est illa in propositione dignius esse quam in quaestione diximus. Quamvis enim eadem voces materialiter sint in quaestione quae sunt in propositione, tamen haec nomina, scilicet »affirmatio« et »negatio«, non congruunt<sup>1</sup> eis nisi quando in propositione ponuntur. Non autem accipias eadem omnia quae dicta sunt in propositione quaestioni congruere nisi cum hac determinatione quae est »dubitabilis« quia aliter in plures incideres laqueos.

Exempla quoque supponit de his quae in propositione et in quaestione eadem esse videntur hoc modo: ALIAE NAMQUE SUNT SIMPLICES, ALIAE COMPOSITAE. (1.5.2)<sup>2</sup> Quasi dicat: Bene dico eadem quae sunt propositionis in quaestione considerari quia quemadmodum dicimus alias propositionum esse simplices aliasque compositas, simili quoque modo dicemus quaestionis alias esse simplices, alias compositas.

<sup>1</sup> congruunt] congruit P

<sup>2</sup> ALIAE COMPOSITAE] ALIAE VERO COMPOSITAE N, sed cf. app.



Illas vero quaestiones quas simplices appellat sic ostendit: SIMPLICES SUNT<sup>1</sup> UT HAE QVAE EX SIMPLICI PROPOSITIONE DESCENDUNT (I.5.3/1177A) Quod est: Illae quaestiones dicuntur simplices quae ab illa dignitate ipsius nominis quod est »simplex propositio« in hoc nomen quod est »quaestio simplex« descendunt, quae similiter simplices dicuntur ut hae propositiones a quibus descendunt. Quarum exemplum hoc modo supponit: UT SI QVAERATUR »AN SIT CAELUM VOLUBILE?«. Ad hoc vero quod aliquis quaereret an congruum dedisset exemplum de simplicibus quaestionibus a simplici propositione descendantibus hoc modo respondet: HAEC ENIM AB EA VENIT PROPOSITIONE VENIT<sup>2</sup> QVAE DICIT CAELUM ESSE VOLUBILE. Quasi dicat: Vere haec prolatio »An sit caelum volubile?« est simplex quaestio, nam ab illa propositione quae dicit caelum esse volubile venit in hoc nomen quod est »simplex quaestio«. Vel ita: Bonum dedi exemplum de simplicibus quaestionibus quae ab hoc nomine quod est »simplex propositio« in hoc nomen quod est »quaestio« descendunt, nam haec prolatio: »An sit caelum volubile?« venit ab hoc nomine quod est »propositio« in hoc nomen quod est »simplex quaestio«, quae propositio dicit caelum esse volubile.

AT SI EX CONDICIONALIS COMPOSITA PROPOSITIONE PRINCIPIUM SUMAT, IPSA ERIT CONDICIONALIS ATQUE COMPOSITA (I.5.4) Quasi dicat: Illae voces quae a dignitate huius nominis quod est »propositio simplex« descendunt significantur ab hac voce quae est »simplex quaestio«, sed si illa vocum materies sumpserit principale nomen quod est »quaestio« ab hoc nomine, scilicet »condicionali propositione«, descendens, ipsa erit, id est vocabitur [27<sup>v</sup>] condicionalis atque composita. Ideo vero post CONDICIONALIS COMPOSITA adiunxit ne videretur hic aliud accipere per condicionalis quam superius in divisione per compositam.

Subdit quoque exemplum quaestionis huiusmodi ad hunc modum: »AN SI CAELUM ROTUNDUM EST, VOLUBILE SIT?«. Ad hoc vero quod quis quaereret an competens exemplum dederit de condicionali quaestione ab hoc nomine quod est »condicionalis propositio« descendens tal<<iter>> respondet: HAEC NAMQUE A CONDICIONALIS PROPOSITIONE SUMPSIT INITIUM QVAE EST: »SI CAELUM ROTUNDUM EST, VOLUBILE <EST>«. Ac si dicat: De praefata quaestione aptum dedi exemplum ostensurus quod ex hoc nomine quod est »condicionalis propositio« huiusmodi quaestio hoc suum principale nomen, scilicet »quaestio«, sumat quia haec prolatio: »An si caelum rotundum est, volubile sit?« sumpsit initium, id est suum nomen principale, ab hoc nomine

<sup>1</sup> SUNT] *om. N, sed cf. app.*

<sup>2</sup> PROPOSITIONE VENIT] VENIT PROPOSITIONE N, *sed cf. app.*

quod est »condicionalis propositio«, quod his est impositum vocibus quae dicunt:  
 »<<Si>> caelum rotundum est, volubile est«.

QUAESTIO ERGO ALIAS PRAEDICATIVA EST, ALIAS QUIDEM  
 CONDICIONALIS. (1.5.5)<sup>1</sup> Quasi dicat: Quia necesse est eadem omnia in  
 quaestione considerare, ut dictum est, quae in propositione praedicta sunt, cum  
 propositionis alia dicatur praedicativa, alia condicionalia, ergo quaestio alia erit  
 praedicativa, alia condicionalis.

---

<sup>1</sup> QUAESTIO ERGO ALIAS PRAEDICATIVA EST, ALIAS QUIDEM CONDICIONALIS ] ERGO ET QUAESTIO ALIAS  
 QUIDEM PRAEDICATIVA, ALIAS VERO CONDICIONALIS N, *sed cf. app.*